HR

De Gemmis,
Scriptvm EVACIS
Regis Arabvm,
Opera Henrici Rantzovii.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

DA 807



BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

DE GEMMIS, SCRIPTVM EVACIS REGIS ARABVM

OLIM A POETA QVODAM non infeliciter carmine redditum, & nunc primum in lucem editum.

Opera & ſtudio D. HENRICI RANTZOVII, Sereniſsimi Danorum Regis per Holſatiam & Dietmarſiam legati.

Adiecta ſunt nonnulla Epigrammata, tum ab ipſo tum ab aliјs de Aula conſcripta, quibus eius inconſtantia eleganter depingitur, vna cum Genealogia Rantzouiana.



LIPSIÆ

Georgius Deſnerus imprimebat,

ANNO

cIↃ. IↃ. LXXXV.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

COMPARATIO
Gemmæ & Aulæ.

Gemma quidem fuluo res eſt precioſior auro,
Splendidiorq́; auro, quod vehit ipſe Tagus.
Attamen amiſſu facilis res eſſe putatur,
Pixide ni cautè gemma retenta fuit.
Sic quoq; magnorum, eſt res ſplendida gratia Regum;
Ac hominum mentes ducit amore ſui.
Hinc fit, vt immenſo quæratur ſæpe labore,
Et vix contingat poſt duo luſtra tibi.
Sæpius offenſa tamen hæc extinguitur vna,
Temporis & ſpacio deſinit eſſe breui.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

MAGNIFICO VIRO, NOBILITATE GENERIS,

Eruditione, prudentia, dignitate ac virtute præſtanti D. Henrico Ranzovio, Sereniſſimi Danorum Regis per Holſatiam & Dietmarſiam Legato, Domino & patrono ſuo perpetua fide colendo,

S. D.

PRæclare à Baſilio dictum eſt, Homilia vndecima: εἰς τὴν ἑξαήμερον. ὁ κόσμος οὗτος ὅλος ὥσπερ τι βιβλίον ἐγγραφὸν ἐστὶν ὑπαγορευόμενον τὴν τοῦ θεοῦ δόξαν τὴν ἀπόκρυφον καὶ ἀόρατον τοῦ θεοῦ μεγαλοσύνην δι' αὐτοῦ διαγγέλλων σοὶ τῷ νοῦν ἔχοντι εἰς κατανόησιν ἀληθείας. Hoc eſt: Tota hæc rerum vniuerſitas ſimilis eſt libro ſcripto, qui prædicat gloriam Dei & arcanam atque inuiſibilem Dei magnificentiam tibi mente prædito annunciat vt veritatem agnoſcas. Nec dubium eſt, Baſilium ad Pauli Apoſtoli verba alludere, qui cap. 1. ad Romanos inquit: Id quod de Deo cognoſci poteſt, manifeſtum eſt in omnibus homnibus.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

bus. Nam Deus eis manifeſtauit. Ipſius enim inuiſibilia, æterna videlicet eius potentia & diuinitas ex creatione mundi perſpiciuntur, cùm conſiderãtur res à Deo conditæ. Hæc dicta vtrumque docent: Teſtãtur totum hoc pulcherrimum theatrum ſeu opificium mundi, ideo tanta arte conditum eſſe, ornatum ſpecie, figura, harmonia motuum, efficacia virium, συμπαθείᾳ & ordine diſtributum, vt illuſtre teſtimonium ſit de Deo opifice. Deinde & hominem monent in hoc ſplendidum domicilium collocatum, & inſitam ei de Deo noticiam eſſe, vt & ſeſe aſpiciens, & oculos circumferens, ad contuendum rerum ordinem, & conſiderandum totius ædificationis conſilium, agnoſcat & eſſe Deum, mentem æternam, architectatricem totius huius operis, ſapientem, bonam, veracem, iuſtam, beneficam, caſtam, liberrimam, & adeſſe huic ſuo operi, & conſeruare res conditas & inſtitutum ordinem, & ſine vlla dubitatione vindicem eſſe, & atrocia ſcelera atrocibus pœnis in

hac

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

hac vita punire, non ſolum, vt generis humani ſocietatem tueatur, ſed etiã vt commonefaciat nos de ipſo: Vt cùm agnoſcimus eſſe iuſtum, veracem, beneficum, caſtum, diſcernamus eum à naturis iniuſtis, mendacibus, obſcœnis, & oportere congruere noſtros mores, cum ipſius voluntate ſciamus.

Etſi autem poſt lapſum non ſatis eſt cogitare argumenta de Deo, quæ ratio humana naturali luce cernit: tamẽ Pædagogia vtilis eſt hæc quoque colligere & ſæpe intueri ad vitandos Epicureos furores, qui fingunt omnia caſu fieri & nihil regi conſilio Dei. Confirmatur enim animus hominis non monſtroſi, ſi & notitias naturales de Deo mentibus noſtris in creatione impreſſas conſideret, & veſtigia Dei, ac prouidentiæ ſigna quærat in ordine creaturarum, quem impoſſibile eſt aut caſu extitiſſe, aut caſu ſic manere.

Nec verò in illis grandioribus ſolum mundi corporibus, cœlo, luminibus, ſtellis, aëre, aqua, terra, animantibus, homine:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

ſed etiam in minimis naturæ rerum partibus, quæ vel ex ſuperficie terræ quotannis enaſcuntur, ac paulò pòſt intereunt, vel ex interioribus etiam viſceribus terræ, aliquo cum labore hominum eruuntur, dulce eſt bonis mentibus aſpicere multiplicia de Deo teſtimonia, quæ nos de architecti ſapientia & de perpetua ipſius in creaturis præſentia commonefaciant.

Quod ſpectaculum hoc verno anni tempore iucundius eſſe poteſt? quam non modo oculos, ſed etiam animum paſcere aſpectione & conſideratione plantarum, quæ miranda arte tum ad nutritionem, tum ad medicationem corporum humanorum diſtributæ ſunt. De quarum ſingulis veriſſimè dici poteſt, quod in carmine quodam ſcriptum eſt:

Et mihi planta ſuis numen demonſtrat ab herbis,
Præſentemq́; refert vna vel herba Deum.

Intueatur aliquis quamcunq; plantulam ſeu floſculum etiã tenerrimum, à radice ſua tanquam fundamento corporis accreſcentem, caule ſtaturam corporis,

thyrſo

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

thyrſo faciem ipſam & caput, & ſurculis brachia quaſi præ ſe ferentem, colore pulcherrimè exornatum, & viribus, ſucco, odore inſtructum: An non agnoſcet, eum perſonam gerere creaturæ concionantis hominibus, & velut ad geſtum renidenti vultu compoſitum, oſtendere animis non prorſus ſtupidis, ſapientiam, bonitatem & prouidentiam Dei conditoris, & ad huius laudem & gloriam hortari atq; inuitare ſpectantes?

Quis verò non iure miretur GEMMAS, ex ipſo vtero & aluo terrę ad vſum humani generis prolatas? quarum deſcriptiones breues, ſed luculentas hic libellus cõtinet. Quæ etſi exiguos ſæpe lapillos aut arenulas hinc inde ſparſas mole ac magnitudine ſua non multum ſuperant, tamen eximium atque excellens Dei opus, atq; adeo miraculum ingens naturę ſunt, ſi quis materiæ temperamentum, & illam mirandam lucis cum elementari craſſitie commixtionem, & occultas vires paulò attentius ſecum animo cõſideret. Quàm

multæ

multæ ſunt enim inter gemmas, quæ radianti fulgore cùm quidem corpora ſint terreſtria, ſtellarum in cœlo procul micantiùm æmulæ eſſe vidētur? Præſtantia enim, quæ & precium his conciliat, ex admirabili illa lucis cum materia terreſtri commixtione manifeſtè deprehenditur. Quò enim quęq́; natura eſt præſtantior, eo plus habere eam lucis oſtēdunt Angeli, animæ rationales, Spiritus vitales & animales, cœlum, ſtellæ & ignis elementaris. Et quis tàm exiguus lapillus precioſus eſt, qui nō efficaciam ſuam in multis mirandis effectibus ſtupenda quadam vi & δυνάμει conſpiciendam præbeat?

Neq; ego nunc in diſputationes eruditorum ac ſapientum hominum inquiro, qui cauſas δυνάμεων, propter quas gemmæ in maximo precio habentur, in natura ipſa inueſtigare conātur. Nam aliqui gemmarum proprietates elementis, vnde illę conſtituuntur, acceptas referunt. Alij nō tantum in temperamento primarum qualitatum, ſed etiam in cœlo cauſas quærunt.

Cùm

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

Cum enim è cœlo conſtet omniũ gignendorum ſeu producendorum facultates in hæc inferiora tranſmitti eruditione ratiocinantur, ex cœlo etiam in gemmas transfundi quidquid recondita atque occulta vi poſſunt. Idq́; eo magis, quod nullius elementi ea vis alioqui eſſe ſolet, vt ſi in paruo ſubiecto verſetur, ſubito inſignes mutationes efficiat: cùm è contrario illa, quæ cœleſti vi nituntur, ex valde tenui atq; exili materia, admiratione dignas functiones ſuas celerrime perficiant.

Sed quanquam concinnè hæc diſputantur, & cognatio ac ſympathia inferiorum corporum cum ſtellis in tota rerum natura effectiones pleraſq́; ciet ac gubernat: tamen ſtupenda gemmarum vis atq; efficacia, ſingulare prouidentiæ diuinæ opus & teſtimonium eſt, quo oſtendere Deus voluit, vt multis alijs, hũc mundum non extitiſſe caſu.

Ac mihi quidem cogitanti de gemmis, in mẽtem venire ſolet, non modo ad corporales vſus conditas illas eſſe à Deo, vt

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

valetudinem hominum corroborent, aut morbos certos arceant (de quo & in hoc Libello, & in Medicorum ſcriptis exempla plurima commemorantur) ſed etiam multarum arcanarum rerum imagines in earũ natura ac proprietatibus pingi, præſertim cùm & ſacræ literæ gemmarum ſæpenumero mentionem faciãt. Nam Exodi 28. & 39. in deſcriptione feſtis Sacerdotalis, quæ Ephod nominabatur, recenſentur duodecim, quas iuxta numerum duodecim tribuum populi Iſraëlitici ſummus Sacerdos ex iuſſu Dei geſtabat inſertas pectorali, quod Hoſen Hebræi nominant, Græci λόγιον, quod inde, vt Ioſephus ſcribit, ceu præſagia quædam diuina de futuris euentibus animaduerti poterant. In hoc igitur pectorali gemmæ erant auro incluſæ, & in ordines quatuor ſic diſtributæ, vt in primo ordine eſſent, quemadmodum Græci nomina Hebræa interpretati ſunt, Sardius, Topaſius, Smaragdus. In ſecundo Carbũculus, Saphirus, Iaſpis. In tertio, Lyncuriũ, Achates, Amethyſtus. In quarto, Chry-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

to, Chryſolithus, Berillus, & Onyx. In medio autem inter has gemmas erat Vrim & Thumim, quod Lxx. verterunt δήλωσιν καὶ ἀλήθειαν. Epiphanius, qui de gẽmis iſtis duodecim libellum peculiarẽ ſcripſit, Adamantem vertit, quemadmodum & Suidas in dictione Ephud.

Qnanquam verò Origenis conſuetudinem non probo, qui omnia in allegorias transformare ſolitus eſt: tamen magnum aliquid illa tam ſolicita & accurata harum gemmarum deſcriptione ſignificatum fuiſſe arbitror, præſertim cùm & Ieſaias cap. 54. Eccleſiam noui teſtamenti gemmarum imagine pingat. Ecce ego ſternam per ordinem lapides tuos, & fundamentum tuum erit Carbũculus & Sapphirus: feneſtras tuas è Chriſtallo faciã, & portas tuas ex lapide Carbunculo: & omnes fines tuos lapidibus precioſis. Et in Apocalypſi cap. 22. Status beatæ ac triumphantis Eccleſiæ poſt hãc vitam, imagine earundem ferè gemmarum, quæ in Exodo recenſentur, ſub typo nouæ ciui-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

tatis Hieroſolymæ prolixa narratione depingitur. Non igitur dubium eſt, per gemmas moneri pios de multis rebus arcanis quæ ad Eccleſiæ deſcriptionem pertinent. Etſi enim in hac vita Eccleſiæ ſpecies propter infirmitatem, crucem & ſcandala deformis eſſe videtur: tamen propter interceſsionem ſummi Pontificis, Domini ac Liberatoris noſtri Ieſu Chriſti, veriſſimè à Deo recipitur in gratiam, & iuſtificata fide donatur Spiritu ſancto, & regeneratur ad iuſtitiam & vitam ſempiternã. Cumq́; in ea ſit lux, videlicet verus Deus & agnitio veri Dei, inſtar nitidiſſimæ gẽmæ pulchritudine & varietate donorum antecellit reliquam partem totius generis humani, ac tandem in conſpectu viui & veri Dei adducta depoſitis omnibus ſordibus & ſquallore qui antequam plenè poliantur, pijs in hac vita adhæret, integra nouitate ornabitur, æternaq́; luce & gloria à Filio Dei, qui hactenus eam in ſinu ſuo fouet & geſtat perfundetur, vt non modò gemmas terrenas, ſed etiam ipſas cœli ſtellas, & So-

lis ac

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

lis ac Lunæ iubar, puritate, luce, pulchritudine quàm longiſſimè ſuperet.

Pingit & doctrinæ Euangelij imaginem Filius Dei ipſe, cùm ſimilitudinem margaritarum Matth. 13. proponit: Simile eſt, inquit regnum cœlorum homini negociatori, quærenti pulchras margaritas, qui cum inuenerit vnam precioſam margaritam, abiens vendidit omnia quæ poſſidebat, & mercatus eſt illam. Gignuntur margaritæ in conchis marinis ex rore cœleſti, & generoſiores fieri ſcribuntur, quò maiores & crebriores tempeſtates ſunt in mari, donec conchæ ſunt grauidæ. Habēt autem vim præcipuam in recreandis & corroborandis Spiritibus vitalibus & in pellendis venenis. Sic Euangelij doctrina, decretum eſt prolatum ex arcano conſilio diuinitatis. Sed non ſentitur vis & efficacia doctrinæ ab animis ſecuris & ocioſis. Sed in pauoribus conſcientiæ, & in ſeria conuerſione ad Deum fide apprehenditur, & in inuocatione & multiplicibus huius vitæ periculis exercetur, ſuſtentat

 corda,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

corda,& vera lætitia ac conſolatione implet. Etſi autem homines profani non magnifaciunt doctrinam Euangelij, ſed imitantur Gallum Æſopicum,qui conſpecto vnione exclamauit: Quid mihi tam precioſa re inuenta opus eſt? tamen pij tanquam negociatores,qui non ſunt inertes atque ignaui, hanc precioſam & maximi theſauri margaritam ſolicitè quærunt & inuentam omnibus humanis rebus,vitæ,fortunis,famæ, paci,Reipub. anteponunt,cùm ſciant alias res omnes non modo euanidas & fugaces vmbras eſſe, ſed etiam σκύβαλα,ſi ad hanc gemmam conferantur.

Quid dicam de aliarum mirandarum rerum imaginibus, quæ in multis gemmis, quæ omnibus notæ ſunt, velut ob oculos hominibus propoſitæ eſſe videntur? Smaragdus gemma Epilepticos paroxiſmos vel arcet,ne accedāt,vel cum inuadunt,profligat,ſi vincat: Si verò ſuccūbat,vel rumpitur ac diſſilit,vel cum nitore vim omnem amittit.Corallia de collo ſuſ-

penſa

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

penſæ colorem cum affectibus cordis mirifico conſenſu mutant. Efflorefcit enim rubor, corde ſeu reuiuiſcente ex ægritudine aliqua aut in læticiam effuſo: Palleſcit, exhauſto vel torrefacto corde, vel mœſticia ſenſim extabeſcente. In his non leuium ſed magnarum rerũ ſpectaculis, haud dubiè de rebus ad æternam ſalutem hominum pertinentibus monemur. Nam in vero conſcientiæ agone ſimiliter luctatur fides cum dubitatione: In quo certamine ſi vincat, Deo iuuante, excitatur ſenſus vitæ ac lætitiæ perpetuæ. Sin ſuperetur ac ſuccumbat venenatis Diaboli telis, opprimitur homo horribili deſperatione & morte ęterna. Sic exhilaratur Spiritus ſanctus, cum corda piorum obtemperant rectori Deo & ardent amore Dei. Contriſtatur idem, cum ſeſe à Deo auertunt & excuſſo rectore Deo rapiuntur flammis inordinatorum affectuum.

Nec verò inſtitutæ epiſtolæ modus patitur virtutum plurimarum imagines me attingere, quas ſapientia Dei ludens in

orbe

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

orbe terræ ſpectandas atque imitandas hominibus in natura gemmarum proponit. Quam multæ ſunt enim gemmæ, vt Iaſpis, Saphirus, Smaragdus & aliæ, quæ δυνάμιν ſuam ſtatim amittunt, cùm is, qui ſecum eas geſtat, concubitu aut libidinibus ſeſe polluit. Ea re hoc ipſum ſignificatur, quod in verſibus Græci Poëtæ Naumachij dicitur:

καλὸν μὲν δέμας ἁγνὸν ἔχειν ἀδμῆτα τε μίμνειν
παρθενικὴν, καθαροῖσιδ' ἀεὶ μελετήμασι χαίρειν.

Quàm inſignis imago eſt tum cōſtantiæ piorum martyrum in adeundis ſupplicijs propter confeſſionem veræ doctrinæ, tum patientiæ, ſine qua cæteræ virtutes omnes ſunt infirmæ & languidæ in Adamante, qui tanta duricie præditus eſt, vt neque ferro frangi, neq; igne domari poſſit. Qua de cauſa & veterum ſcriptorum aliqui, cùm cauſam exponunt, cur corpus etiam Iobi viri iuſti & ſancti Deus affligi à Diabolo permiſerit, ſimilitudinem ab hac gemma mutari non ſunt veriti. Vt enim, qui bonū ac generoſum Adaman-

tem in

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

tem in poteſtate ſua habet, nihil de generoſitate illius dubitans, etiam alijs explorandi illum poteſtatem concedit: Sic Deus, qui optimè corda hominum nouit, poſcenti Diabolo Iobum affligendum aliquantiſper permiſit, cùm ſciret illum inſtar Adamantis ab ipſo ducere opes animumq́; ferro.

Valde etiam me delectat illa de Magnete apud Auguſtinum narratio. Sic enim inquit lib. 21. de ciuitate Dei, cap. 24. Magnetem lapidem nouimus mirabilem ferri eſſe raptorē. Quod cùm primum vidi, vehementer inhorrui. Quippe cernebam à lapide ferreum annulum raptam atque ſuſpenſum: Deinde cum ferro quod rapuerat tanquam vim dediſſet ſuam, communemq́; feciſſet, idē quoq; annulus admotus eſt alteri, eumq́; ſuſpendit. Atq; vt ille prior lapidi, ita alter annulus priori annulo cohærebat. Acceſſit illi eodem modo tertius & quartus. Iamq́; ſibi per mutua connexis circulis non implicatorum intrinſecus, ſed extrinſecus adhærentium

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

quaſi catena pependerat annulorum. Hæc narratio de natura Magnetis an non pulcherrima imago eſt boni gubernatoris in Republica? qui cum heroica virtute ac felicitate præditus eſt, & diuinitus adiuuatur ac regitur, autoritate ſua omnes ſibi ſubiectos ita ad ſe vnum rapit atque conuertit, vt omnium animi ab ipſo pendeant, eiq́; ſponte ac ſumma voluntate obtemperent, & inter ſeſe quoq; mutua quadam eiuſdem gubernatoris reuerentia coniunctè viuant. Ac vt Magnetem experimur, quoquo vertatur, ſemper tamen ad ἄρκτον ſeu polum mundi Septentrionalem reſpicere: Sic In omni gubernatione tum demum felix ac florens ſtatus erit, ſi ſummus Gubernator conſilia & actiones ſuas ad normam verbi diuini perpetuò referat, ac DEI voluntatem ſemper intueatur, ad eamq́; recto curſu quantum fieri poteſt contendat.

Sed nimis longum foret, ſi plura velim exempla admirandarum imaginum, de quibus gemmarum conſpectus nos monet,

net, ad-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

net, addere. Hæc enim breuiter ſaltem recitanda putaui, vt occaſionem præberem eruditis ingenijs cogitandi, cur à DEO gemmæ ſint conditæ. Etſi enim vt alijs rebus bonis, ita lapillis precioſis quoq; ad luxum multi abutuntur: qua de cauſa & apud Ezechielem Prophetam rex Tyrius reprehenditur (hunc enim in medio ignitorum lapidum ambulaſſe inquit, cùm paulò ante dixiſſet, eleuatum fuiſſe cor ipſius, quaſi cor Dei) nonnulli etiam neſcio ad quorum hominum beneuolentiam atque amores conciliandos, aut res noxias arcendas aut depellendas ſuperſtitionis quadam vanitate eoſdem adhibere ſolent: tamen & vſum neceſſarium habēt gemmæ in medicatione corporum, & multa de Deo & prouidentia monent, & arcanarum rerum ſignificationes continent, & pulchritudine ſua liberales animos de multarum virtutum exercitijs commonefaciunt.

Cùm autem in hoc libello ab EVACE Arabum rege, quem ſub Tiberio & Nero-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

ne Impp. Romanis floruiſſe conſtat, Græco ſermone primùm conſcripto, poſtea verò à quodam Poëta verſibus non infeliciter reddito, erudita breuitate præcipuarum gemmarum deſcriptiones proponātur, quarum cognitio & ad eruditionem augendam & ad illuſtrandam lectionem ſacrarum literarum prodeſſe poterit, magnam gratiam boni & docti debere ſe tibi fatebuntur, quod tuo nunc beneficio libellus ante multa ſæcula ſcriptus, & nunquam ante hac integrè, quod ſciam, editus, ex Vetuſtis Bibliothecis, quas alendæ eruditionis cauſa, quoties à Reipub. negocijs abeſſe licet, magno ſtudio perluſtrare ſoles, in lucem profertur. Nam vt gemmæ non tam magnitudine & pondere quam bonitate & effectionum præſtantia æſtimari ſolēt: ſic libellum iſtum quāquam breuis eſt, tamen propter rerū, quas continet bonitatem, omnibus eruditis gratum fore confido: Qui quidem cum gemmarum iſtarum deſcriptiones legent, etiam de ijs virtutibus, quæ vt gemmæ in-

ſignes

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

ſignes in te elucent, atque eminent commonefacti, grato animo eas prædicabũt, & nominis tui memoriam ad poſteros propagare ſtudebunt. Quæ verò tua eſt in ornandis optimarum literarum ſtudijs promptitudo & liberalitas, abs te peto, vt pergas ex Bibliotheca tua, quam habes in arce Bredenberga inſtructiſsimam, ſubinde aliquid depromere, quo & Muſę noſtrę exhilarentur, & nominis tui celebritas his præclaris incrementis augeſcat. Bene valeat Magnificentia tua. Calend. Maij, Anno Ieſu Chriſti, Milleſimo, quingenteſimo, octuageſimo quinto.

T. M.

Studioſiſs.

Henricus Moller
Hamburgenſis.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

De Gemmis,

SCRIPTVM EVACIS REGVM ARABVM

Carmine redditum.

EVax rex Arabum legitur ſcripſiſſe Neroni,
Qui poſt Auguſtum regnauit in vrbe ſecundus:
Quot ſpecies lapidum, quæ nomina, quiue colores,
Quæ ſit ijs regio, vel quanta potentia cuiq;:
Hoc opus excipiens dignum componere duxi,
Aptum geſtari forma breuiore libellum.
Qui niſi præcipuis, paucisq; pateret amicis.
Nam Maieſtatem minuit, qui myſtica vulgat,
Nec ſecreta manent, quorum fit conſcia turba,
Hinc tribus, haud multis dandum cenſemus amicis.
Qui numerus ſacer eſt, & nos ſacra pandimus illis
Qui ſecreta Dei ſeruando decenter honorent,
Quos grauitas morum, vitæ commendat honeſtas.
Occultas etenim lapidum cognoſcere vires,
Quorum cauſa latens effectus dat manifeſtos,
Egregium quiddam volumus rarumq; videri.
Scilicet hinc ſolers medicorum cura iuuatur,
Auxilio lapidum morbos expellere docta.
Nec minus inde dari cunctarum commoda rerum.
Auctores perhibent, quibus hæc perſpecta feruntur
Nec dubium cuiquam debet, falſumúe videri.

Quin

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

Quin ſua ſit rebus diuinitus inſita virtus,
Ingens eſt herbis virtus data, maxima gemmis.

De Adamante.

Ultima præcipuum genus India fert Adamantis,
De Chryſtallorum natum, ſumtumq́ metallis.
Hunc ita fulgentem chryſtallina reddit origo,
Ut ferruginei non deſinat eſſe coloris.
Cuius duricies ſolidiſsima cedere neſcit,
Ferrum contemnens, nulloq́ domabilis igne:
Quæ tamen hircino calefacta cruore fathiſcit,
Incudis damno, percuſſorumq́ labore.
Huius fragmentis gemmæ ſculpuntur acutis.
Hic ſed auellana maior nuce non reperitur.
Alterius generis producit Arabs Adamantem,
Non ſic inuictum, quia frangitur abſq́ cruore,
Nec par huic nitor eſt, preciјq́ minoris habetur,
Pondere ſit quamuis, & eorum corpore maior.
Tertius eſt Adamas, quem dat maris inſula Cyprus.
Quartum producit ferraria vena Philippis.
Omnibus æqua tamen vis eſt adducere ferrum.
Quod facit & Magnes abſente potens Adamante.
Nam præſens Adamas Magneti quod rapit, aufert.
Ad magicas artes idem lapis aptus habetur,
Indomitumq́ facit mira virtute gerentem,
Ac noctis Lemures, & ſomnia vana repellit,
Atq́ venena fugat, rixas & iurgia vincit.

Inſanos

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

Inſanos curat, duroſq́ reuerberat hoſtes.
Clauſus in argento lapis hic, auróue feratur,
Cingat & hæc læuum fulgens armilla lacertum.

De Achate.

Ut perhibent, primum lapis eſt inuentus Achates,
In ripis fluuij, qui nomine dictus eodem.
Hic precio diues Siculas perlabitur oras.
Sit licet ipſe niger, venis tamen obſitus albis.
Hic lapis ingenitas memoratur habere figuras,
Cuius natiuis facies interlita venis,
Nunc regum formas, nunc dat ſimulachra deorum.
Rex Pyrrhus digito geſsiſſe refertur Achaten
Cuius plena nouem ſignabat pagina Muſas,
Et ſtans in medio cytharam tangebat Apollo,
Naturæ, non artis opus, mirabile dictu.
Nunc quoq́ Coralio ſimilem gerit inſula Creta,
Cuius planicies cæſeis eſt illita venis.
Nempe idem virus fugat, & quod vipera fundit.
Reddentem varias ſpecies dat & Indus Achaten.
Nunc memorum frondes, nunc dantem ſigna ferarū.
Hic ſedare ſitim, viſumq́ fouere putatur.
Eſt & qui myrrhæ ſucenſus ſpirat odorem.
Sanguineas maculas eſt qui perhibetur habere.
Cerea cui facies, quia creber, vilis habetur.
Portanti munus vireſq́ miniſtrat Achates,
Fæcundumq́ facit, gratumq́, bonią́ coloris.

Et per-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

Et perſuaſorem, mundoq́; Deoq́; placentem.
Hoc Anchiſiades comitante pericula vicit.

De Alectorio.

Ventriculo galli, qui teſtibus eſt viduatus,
Cum tribus ad minimum factus ſpado vixerit annis,
Naſcitur ille lapis, cuius non vltima laus eſt,
Et per bis binos capit incrementa ſequentes,
Menſuramq́; fabæ creſcens excedere neſcit,
Chryſtallo ſimilis, vel aquæ cum limpida pâret.
Hinc Alectorio nomen poſuêre priores.
Inuictum reddit lapis hic quemcunq́; gerentem,
Extinguitq́; ſitim, ſitientis in ore receptus.
Nam Milo Crotonias pugiles hoc præſide vicit.
Hoc etiam multi ſuperârunt prælia reges.
Hic expulſorum promtus ſolet eſſe reductor,
Acquiritq́; nouos, vetereſq́; reportat honores.
Hic oratorem verbis facit eſſe diſertum:
Conſtantem reddens, cunctiſq́; per omnia gratum.
Hic circa veneris facit incentiua vigentem,
Commodus vxori, quæ vult grata eſſe marito.
Vt bona tot præſtet, clauſus portetur in ore.

De Iaſpide.

Iaſpidis eſſe decem ſpecies, ſeptemq́; feruntur.
Hic & multorum cognoſcitur eſſe colorum,
Et multis naſci perhibetur partibus orbis.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

Optimus eſt viridi, translucentiq; colore,
Et qui plus ſoleat virtutis habere probatur.
Caſtè portatus fugat & febres, & hydropem,
Appoſituſq; iuuat mulierem parturientem,
Et tutamentum portanti creditur eſſe.
Nam conſecratus gratum facit, atq; potentem.
Et ſicut perhibent, phantaſmata noxia pellit.
Cuius in argento vis fortior eſſe putatur.

De Saphiro.

Saphiri ſpecies digitis aptiſſima regum,
Egregium fulgens, puroq; ſimillima cœlo,
Vilior eſt nullo virtutibus atq; decore,
Hic & Syrtites lapis à plæriſq; vocatur,
Quod circa Syrtes Libycis permixtus arenis,
Fluctibus expulſus feruente freto reperitur.
Ille ſed optimus eſt, quem tellus Medica gignit,
Qui lapis aſſeritur nunquam tranſmittere viſum.
Quem natura potens tanto ditauit honore,
Vt ſacer, & merito gemmarum gemma vocetur.
Nam corpus vegetat, conſeruat & integra membra.

De Beryllo.

Conſpicuos reddit ſexangula forma Beryllos,
Quod niſi fiat hebes his pallor ineſſe videtur.
Exmios oleo ſimiles, lymphæúe marinæ
Eſſe volunt, & eos probat horum gnara vetuſtas.

Hic

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

Hic lapis ad noſtras partes deſcendit ab Indis.
Hic & coniugij geſtare refertur amores,
Et ſe portantem perhibetur magnificare.
Dicitur & ſeſe ſtringentis adurere dextram.
Infirmis oculis, in qua iacet vnda, medetur,
Potaq́ ructatus, ſimul & ſuſpiria tollit,
Et cunctos epatis fertur curare dolores.
Iſtius eſſe nouem ſpecies voluêre magiſtri.

De Topazio.

Nominis eiuſdem Topazion inſula gignit.
Qui quanto rarus, tanto magis eſt precioſus.
Hic ſpecies binas tantum perhibetur habere.
Alterius puro color eſt vicinior auro,
Clarior alterius, tenuiſq́ magis reperitur.
Fertur hemorroydis idem lapis auxiliari,
Quodq́ magis mirum, Lunam ſentire putatur,
Feruentes etiam compeſcere dicitur vndas.
Gignit & hunc Arabum gentis ditiſsima tellus.

De Chryſopraſſo.

At Chryſopraſſum lapidem domus Indica mittit.
Hic porri ſuccum referens, mixtoq́ colore
Aureolis guttis, quaſi purpura tincta renidet.
Quas habeat vires, potui cognoſcere nondum,
Sed tamen eſſe reor, nec fas eſt omnia noſſe.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

De Hyacintho.

Hyacinthi ſpecies doctis tres eſſe feruntur.
Nam ſunt granati, ſunt citrini, venetiq́.
Confortatricis cuncti virtutis habentur,
Triſtitiamq́ fugant, & vanas ſuſpiciones,
Granatos præfert gemmarum quiſq́ peritus.
His rufus color eſt, & rarius inueniuntur,
Cæruleus veneto, qui protinus aëra ſcindit,
Nubilus obſcuro, rutilans claruſq́ ſereno.
Optimus huic tenor eſt, quod non aut denſior æquo
Obſcurat viſus, aut rarus perſpicuum dat.
Sed flos purpureus mixtum componit vtroq́
Hic & in os miſſus plus frigidus eſſe putatur.
Duricie ſolita cædi, ſculpiq́ recuſat.
Fragmentis tantum ſuperabilis eſt Adamantis.
Pallida citrinos facies probat inferiores.
Sed quodcunque genus collo ſuſpendere poßis.
Vel digito, portes: terras ſecurus obibis,
Nec tibi peſtiferæ regionis cauſa nocebit,
Sed magis hoſpitibus cenſebere dignus honore,
Iuſtaq́ ſi qua petes, nullam patiere repulſam,
Æthyopes nobis tranſmittunt hanc quoq́ gemmam.

De Amethyſto.

Purpureus color, ac violaceus eſt Amethyſto,
Qui quaſi grana meri ſolet, ac roſa munda videri.
Quidam marcidior velut euaneſcit in album,

Vt cor-

Vt corruptus aqua vini rubor eſſe putetur.
India mittit eum gemmarum maxima nutrix,
Hic facilis ſculpi, contrarius ebrietati.
Carus haberetur meritò, ſi varior eſſet.
At nunc negligitur, quoniam communis habetur.
Huic quoq; dat ſpecies veterum ſententia quinq;.

De Chelidonio.

At Chelidonius lapis eſt, quem gignit hirundo
Ventre gerens, precium, quo digna ſit ipſa necari.
Nec de fulgentum numero lapis iſte putetur,
Paruus & informis, ſed nulli viribus impar
Præclaros quoſqam lapides præit vtilitate.
Huius ſunt binæ ſpecies geminiq; colores.
Nam niger, & rufus cæſo de ventre trahuntur,
Cedit geſtato Lunatica paßio rufo.
Curat & inſanos, & languores diuturnos.
Facundos facit & gratos, multiſq; placentes.
Ex lino facto decet hunc inuoluere panno,
Et ſic in theca clauſum portare ſiniſtra.
Et niger in panno pacto geſtatus eodem,
Ad finem dignum ſuſcepta negocia ducit,
Obſiſtitq; minis & regum mitigat iras.
Et dilutus aqua languentia lumina ſanat.
In panno croceo lini ſub tegmine texto
Ipſe lapis poſitus febres extinguere fertur,
Et ſimul humores compeſcere quoſq; nociuos.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

De Gagate.

Naſcitur in Licia lapis, & propè gemma Gagates.
Sed genus eximium longinqua Britannia nutrit.
Lucidus & niger eſt, leuis & leniſsimus idem.
Vicinas paleas trahit attritu calefactus,
Et qui portat ei nequit vlla fraude noceri.
Inuidiam ſuperat, nullo terrore mouetur.
Hic lapis, vt perhibent, educit carcere vinctos,
Obſtruſaſq; fores, & vincula tacta reſoluit.
Placatumq; Deum reddit, precibuſq; fauentem.
Fertur & ad pacem bonus eſſe reconciliandam.
Et plus quàm reliquas amat hanc nigromantia gem-
Vt diuina queant per eam reſponſa mereri, (mam,
Corporeis etiam morbis lapis iſte medetur.
Scilicet ardorem refrigerat interiorem,
Sudorem ſtringit nimio terrore fluentem.
Contritus lateri ſuper illitus vlcera ſanat.
Tollit & ex oculis ſordes, & fronte dolores,
Et vitijs linguæ ſimili ratione medetur.
Sed qui geſtat eum, caſtiſsimus eſſe iubetur.

De Chalcedonio.

Chalcedonius lapis eſt hebeti pallore refulgens,
Inter Hyacinthum medioxumus atq; Berillum,
Qui ſi pertuſus digito, collóue geratur,
Is qui portat eum, perhibetur vincere cauſas.
Hæc ſpecies lapidis tantum tricolor reperitur.

De

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

De Smaragdo.

Omne virens ſuperat forma viridante Smaragdus,
Cuius bis quinæ ſpecies, binæq; feruntur.
Sunt etenim Schytici, Bractani, Niliaciq;.
Sunt & qui venis naſci perhibentur in æris,
Quos maculis precioſa notat natura metalli.
Sunt Chalcedonij, reliquos piget enumerare.
Præcipuus Schyticis honor eſt, & gratia maior.
Gryphibus eripiunt ſeruantibus hos Erymaſpi.
Quos viſus penetrat, famæ melioris habentur.
Quorum luce virens vicinus tangitur aër.
Quos neq; ſol mutat, nec clara lucerna, nec vmbra.
Strata ſuperficies quibus eſt, vel concaua forma,
More iacentis aquæ vultum ſpectantis obumbrat.
His ſpeculis vſum teſtatur fama Neronem,
Cum gladiatorum pugnas ſpectare liberet.
Optimus his ſitus eſt, quorum ſunt corpora plana.
Commodus iſte lapis ſcrutantibus abdita fertur,
Cum præſcire volunt, ac diuinare per vndam.
Auget opes idem ſeſe reuerenter habentis:
Omnibus in cauſis dat perſuaſoria verba.
Collo ſuſpenſus dirum fugat Orcipotentem,
Et ſanare poteſt ipſa ratione caducos.
Emendat feſſos viridi mulcedine viſus,
Ac tempeſtates auertere poſſe putatur.
Fertur laſciuos etiam compeſcere motus.

Proficit

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

Proficit in viridem magis, exactumq́ colorem
Ablutus vino, viridiq́ perunctus oliuo.

De Sardonyce.

Sardonicen faciunt duo nomina Sardus, Onixq́.
Tres capit ex binis vnus lapis iſte colores,
Albus in his nigro, rubeus ſupereminet albo.
Ipſum diſtribuunt ſpecies in quinq́ magiſtri.
Sed qui tres puros, impermixtoſq́ colores
Sic in ſe retinent, vt diſtent limite certo.
His honor amplior eſt, & eorum forma probatur.
Denſior & raro plus fertur habere decoris.
Hic ſolus lapidum ceram conuellere neſcit.
Hic humilem, caſtumq́ decet, multumq́ pudentem.
Cuius virtutes alias reperire nequiui.
Partibus hunc noſtris Arabes ſed & India mittit.

De Onyze.

At collo ſuſpenſus Onix, digitoúe ligatus,
In ſomno Lemures & triſtia cuncta figurat:
Multiplicat lites, & commouet vndique rixas.
Dicitur & pueris nimias augere ſaliuas.
Hanc quoq́ dant nobis Arabes, dat & India gemmã.
Hæc etiam quinas ſpecies perhibetur habere.

De Sardio.

Sardius

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

Sardius à Sardis, eſt à quibus antè repertus,
Sortitus nomen, rubei ſolet eſſe coloris,
Hic inter gemmas viliſsimus eſſe putatur,
Præter fulgorem cum nil ferat vtilitatis,
Excepto quod Onyx nequit hoc præſente nocere.
Huic quoq; dat quinas ſpecies ſtudioſa vetuſtas.

De Chryſolitho.

Auro Chryſolithus micat, & ſcintillat vt ignis.
Iſte mari ſimilis, quiddamq; viroris adumbrat,
Eſſe philactorium fixus perhibetur in auro.
Contra nocturnos fortis tutela timores.
Pertuſus ſetis ſi tranſmittatur Aſelli,
Dæmonicos terret, & eos agitare putatur.
Traiectum læuo decet hunc portare lacerto.
Ætyopes legimus nobis hanc mittere gemmam,
Quam mox eiectam certant operire liquore,
Dum ſæpe intumulant congeſtæ pondus arenæ.
Scilicet inuidia, ne noſtros cedat in vſus.
Electro ſimilem Theophraſtus habere colorem
Hunc ait, & ſimili paleas adducere pacto,
Affirmans ipſum ſtomachi placare dolores,
Ictericis etiam priſcum reparare vigorem,
Et perturbati compeſcere reumata ventris.

De Aëtite.

Inter præcipuos lapides numeratur Etites,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

Quem petit extremis ales Iouis orbis ab oris,
Cuſtodem nidi, defenſoremq́ futurum,
Quo valeat pullis dubios auertere caſus.
Continet hic alium prægnantis more lapillum.
Creditur ergo potens prægnantibus auxiliari,
Ne vel abortiuum faciant, partuúe laborent,
Appenſus læuo ſolito de more lacerto.
Confert præterea geſtanti ſobrietatem:
Auget diuitias, & amari cogit habentem,
Victoremq́ facit, populiq́ fauoribus ornat:
Incolumes pueros dat viuere, ſiue puellas,
Atq́ caducorum fertur prohibere ruinas.
Si quis ſuſpectus tibi ſit de fraude veneni,
Tuq́ probare velis, ſua num ſit iniqua voluntas,
Participem menſæ, quem formidas adhibeto:
Pulmento poſito, cui ſit ſubmiſſus Etites
Si fraus corde ſubeſt, tentans glutire nequibit:
Suſtuleris lapidem, cupide guſtanda vorabit.
Puniceum lapis hic memoratur habere colorem,
Oceaniq́ latens in littoribus reperitur,
Aut aquilæ nidis, aut Perſarum regione:
Quem gemini caſtor, Polluxq́ tuliſſe feruntur.

De Selenite.

Nec Seleniten fas eſt omnino ſilere.
Quæ velut herba virens, & Iaſpidis æmula gemma
Lunares motus, & menſtrua tempora ſeruat.

Creſcit

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

Creſcit enim Luna creſcente, minorq́ minuta
Efficitur, tanquam cœleſtibus anxia damnis.
Idcircò ſanctus lapis à pleriſq́ vocatur.
Dicitur eſſe potens ad amorem conciliandum,
Languentes etiam phtyſicos releuare putatur,
Toto geſtatus conſtantis tempore Lunæ
Nec minus & toto per decrementa fluentis.
Effectus miros & plurima commoda præſtat.
Hanc etiam gemmam memorant in Perſide naſci.

De Gagatoneo.

At diuerſicolor, quem dicunt Gagatoneum,
Pelli capreolæ ſimilis lapis iſte refertur.
Quem qui geſtarit, dum eſt pugnaturus in hoſtem,
Hoſtem depulſum terraq́ mariq́ fugabit,
Iſtius Alcides ope multa pericula vicit.
Succubuit, quoties lapidem non ſuſtulit iſtum.

De Cerauneo.

Ventorum rabie cum turbidus æſtuat aër,
Cùm tonat horrendùm, cùm fulgurat igneus æther
Nubibus illiſis cœlo cadit ille lapillus,
Cuius apud Græcos reſtat de fulmine nomen,
Illis quippe locis, quos conſtat fulmine tactos,
Iſte lapis tantum reperiri poſſe putatur.
Vnde Ceraunius eſt Græco ſermone vocatus.
Nam quod nos fulmen, Græci dixêre Ceraunon.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

Qui caſtè gerit hunc à fulmine non ferietur,
Nec domus, aut villæ, quibus affuerit lapis ille.
Sed neq; nauigio per flumina, vel mare vectus
Turbine mergetur, vel fulmine percutietur.
Ad cauſas etiam, vincendaq; prælia prodeſt,
Et dulces ſomnos, & ſomnia læta miniſtrat,
Huic binæ dantur ſpecies, totidemq; colores.
Chryſtallo ſimilem Germania mittere fertur,
Cæruleo tamen infectum, rutiloq; colore.
Mittit & Hiſpanus regione manens Luſitana,
Flammas ſpernentem, ſimilemq; colore pyropo.

De Heliotropia.

Ex re nomen habens eſt Heliotropia gemma,
Quæ Solis radijs in aquæ ſubiecta batillo,
Sanguineum reddit mutato lumine Solem,
Eclypſinq; nouam terris offundere cogit.
Deniq; poſt modicum vas ebullire videbis,
Aſpergiq; foras ſubitæ ſcaturiginis imbrem,
Vt fit cum nimbis deſtillat turpidus aër.
Se quoq; geſtanti dat plurima vaticinari,
Hoſq; bonæ famæ, quibus eſt data, laudibus ornat.
Seruat & incolumes, producens tempora vitæ,
Sanguinis aſtringit fluxum, pellitq; venena.
Ardet aqua lotus, reſtinguitur vnctus oliuo.
Prodeſt geſtatus tumidis intercute lympha.
Et dilutus aqua dentes firmat labefactos.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

Per ſuffumigium mulieris menſtrua reddit.
Accenſus prodeſt fumi nidore caducis.
Effugat immites ſimili ratione chelidros.
Idem Dæmonibus contrarius eſſe putatur.
Euerſos ventres iuuat, & præcordia tonſa,
Vincit præſtigias, & carmina dira reſoluit.
Et ſolet, vt perhibent, deprendere virginitatem.
Prægnans potet aquam, triduò qua merſus habetur.
Quo vexabatur partum citò libera fundet.

De Magnete.

Magnetes lapis eſt inuentus apud Troglodytas,
Quem lapidum genitrix nihilominus India nutrit.
Hic æruginei cognoſcitur eſſe coloris,
Et vi naturæ vicinum tollere ferrum
Edendon magus hoc inprimis dicitur vſus,
Conſcius in magica nil eſſe potentius arte.
Poſt illam fertur formoſa venefica Circe
Hoc in præſtigijs magicis ſpecialiter vſa.
Hinc & apud Medos, cum res veniſſet in vſum
Detexit lapidis magis experientia vires.
Nam qui ſcire cupit, ſua num ſit adultera coniunx,
Suppoſitum capiti lapidem ſternentis adaptet.
Mox quæ caſta manet, petit amplexura maritum,
Non tamen euigilans, cadit omnis adultera lecto
Tanquam pulſa manu ſubito terrore coacto,
Quem lapis emittit celati criminis index.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

Si fur clauſtra domus ſpolijs, gaziſq́; referta
Ingrediens, prunas ardentes per loca ponat,
Et ſuper aſpergat Magnetis fragmina prunis
Vt per tetragonum fumi vapor alta vaporet.
Montibus euerſis velut impediente ruina
Diffugiunt omnes, in ea quicunq; manebunt,
Et fur ſecurus rapiet, quæcunq; licebit.
Conciliare poteſt vxoribus ipſe maritos.
Gratia præſtatur ſimul, & ſuadela per ipſum,
Sermoniſq́; decor, diſceptandiq́; facultas
Cum mulſa datus hydropen purgando reſoluit,
Et combuſturas ſuper aſperſus medicatur.

De Coralio.

Coralius lapis eſt, dum viuit in æquore vimen:
Retibus euulſus, vel cæſus acumine ferri
Aëre contacto fit durior & lapideſcit,
Quiq́; color viridis fuerat, modò puniceus fit.
Hic velut arbuſti ramuſculus eſſe videtur,
Circa ſemipedem vix longior inueniendus.
Ex quo finguntur geſtamina commoda multis.
Quippe ſalutaris portantibus eſſe putatur.
Ipſius eſt, vt ait, Zoroaſtes, mira poteſtas.
Et ſicut ſcribit, Metodoſius optimus auctor,
Fulmina, typhonas, tempeſtateſq́; repellit
A rate, vel tecto, vel agro quocunq; geratur.
Aſt in vinetis aſperſus, & inter oliuas,

Aut

Aut à ruricolis cum ſemine ſparſus in agros,
Grandinis auertit calamis contraria tela,
Multiplicans fructus vt fertilitate redundent,
Vmbras Dæmonicas, & Theſſala monſtra repellit,
Introitus præſtat faciles, fineſq́ ſecundos.

De Alabandina.

Eſt Aſiæ regio, quæ nomen habens Alabanda,
Fert Alabandinam, cuius lux æmula Sardi
Indicis ambiguum de lumine fallit acumen.

De Corneolo.

Sed neq Corneolos lapides memorare pigebit,
Qui licet obſcurum videantur habere colorem
Non ſpernenda tamen his creditur inſita virtus.
Nam lapis hic digito, collóue gerentis adhærens
In diſceptando ſurgentes mitigat iras:
Quiq́ lauaturæ carnis par eſſe videtur.
Sanguinis ex membro ſiſtit quemcunq fluorem,
Præcipuè talem patitur ſi fœmina fluxum.

De Carbunculo.

Ardentes gemmas ſuperat Carbunculus omnes.
Nam velut ignitus radios iacit vndiq carbo,
Nominis vnde ſui cauſſam traxiſſe videtur,
Sed Græca lingua lapis idem dicitur Anthrax.
Huius non tenebræ poſſunt extinguere lucem,

Quum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

Quum flammas vibrans oculis micet aſpicientum.
Naſcitur in Libya Troglodytorum regione,
Et Species eius ter ternæ, tresq́ feruntur.

De Lyncurio.

Vertitur in lapidem, quod ſtillat ab inguine lyncis.
Lyncurium vocitant, & calculus eſt precioſus.
Nam credunt ipſas hoc perſentiſcere lynces.
Nec falli poterit, lapidem qui geſſerit iſtum,
Tot bona diuino data ſunt huic munere gemmæ,
Cui tamen amplior his conceſſa potentia fertur.
Nam ſi iungantur eiuſdem nominis herbæ
Carmine legitimo, verboq́ ſacrata potenti,
Subtrahit humanis oculis quemcunq́ gerentem.
Hanc nunc Æthyopes, nunc Cyprus & Africa mittit,
Sanguinis aſperſam guttis, ſimilemq́ Smaragdo.

De Gerachite.

At Gerachitem vetus experientia laudat.
Iſte colore niger ſuperat virtute colorem.
Hunc prius abluto ſi quis geſtauerit ore
Dicere mox poterit, quid de ſe cogitet alter.
Huic quoq́ ineſt virtus impetratoria quædam,
Quæ nequeat quicquam prohibendo negare petenti.
Cuius ſic virtus perhibetur poſſe probari:
Muſcis expoſitum corpus nudato gerentis
Lactis commixto, melliſq́ liquore perunctum.

Inta-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

Intactum liquido (miraberis) agmine linquet.
Si lapidem tuleris facto grege ſpicula figent.

De Epiſtite.

Naſcitur in bimari precioſior ære Corintho
Dictus Epiſtites, rutilans lapis ac rubicundus.
Qui ſi feruenti fuerit coniectus aheno,
Ignibus exultans prius illico ſiſtitur vnda,
Frigida poſt modicum lapidis virtute futura.
Fructibus ac terræ volucres arcere locuſtas,
Et nebulas ſteriles, & grandinis improba fertur
Verbera, nec turbo quos protegit iſte, nocebit.
Ad Solem poſitus radios emittit & ignem,
Nutantes oculos perſtringens luce coruſca.
Accenſas idem compeſcit ſeditiones,
Et tutum ſeruat dubia ſub ſorte gerentem.
Pectore ſed memori fixum teneamus oportet,
Qua cor parte iacet, lapides hac eſſe gerendos.

De Hæmatite.

Sumſit Hematites Græcum de ſanguine nomen,
Naturæ lapis humanæ ſeruire paratus:
Stiptica cui virtus permulta probatur ineſſe,
Nam palpebrarum ſuper illitus aſperitatem
Et viſus hebetes pulſa caligine ſeruat.
Eius ramento ſi glarea iungitur oui
Succo dilutus velut ad collyria cote,

 Vel

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

Vel reſolutus aqua, iuuat hos qui ſanguinis ore
Spumas emittunt, & quæ linit vlcera ſeruat.
Potatus ſtringit, patitur quem fœmina fluxum.
Creſcentes carnes in vulnere pulueris huius
Vis premit, & ventrem retinet ſine more fluentem.
Vino dilutus veteri, bibituſq; frequenter,
Serpentis morſum, vel quod ſit ab aſpide vulnus
Egregiè curat, reſolutus aquis & inunctus
Mixtus melle poteſt oculos ſanare dolentes.
Veſicæ lapidem bibitus diſſoluere fertur.
Hic ferrugineo, rufóue colore notatur.
Africa mittit eum, ſed & Æthyopes, Arabeſq;.

De Asbeſto.

Arcadiæ tellus lapidem producit Abeſtum.
Ferreus huic color eſt, naturæ mira poteſtas.
Nam ſemel accenſus conceptos detinet ignes,
Extinguiq; nequit collucens perpete flamma.

De Peanite.

Gignitur in Macedûm regione lapis Peanites,
Fœminei ſexus referens imitando labores.
Nam quibus ex cauſsis dubium, ſed tempore certo
Concipit & parit, & parientibus auxiliatur,
Vltima quas dubij diſcriminis hora fatigat.

De Sagda.

Diffici-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

Difficiles gemmas ſuper omnes Sagda repertus
Nunquam ſciretur, niſi ſe daret inueniendum.
In medio ſiquidem natus lapis iſte profundo
Naues vi quadam petit è regione meantes,
Et prælambentis tabulis hærendo carinæ
Ad portum vehitur mox ignaris data nautis,
Eſt autem morſu tabulæ ſic fixa tenaci,
Quod nequit abraſi ligni ſine parte reuelli.
Huic praſinus color eſt, regio Chaldâica tellus.

De Medo.

Aſt in Medorum regione lapis reperitur,
Quem Medum vocitant, mortis dator atq; ſalutis.
Namq; ſuper cotem mulieris lacte ſolutus,
Quæ ſemel, atq; marem peperit, perſanat inunctus
Viſu fraudatos multo iam tempore cæcos.
Poſt medicinalis viridis ſolet eſſe coloris
Lacte ſolutus ouis, ſemel atq; marem parientis,
Expellit veterem ſimili ratione podagram,
Et feſſas reficit ſub anhelo pectore fibras.
Hoc & nephretici ſaneſcunt vnguine renes.
Debet in argento mixtum, vitroq; reponi,
Ieiunoq; dari, ſic vtile fit medicamen.
Et reſolutus aquis cotis ſibi fragmine mixto
Et porrectus ei, tibi quem decreueris hoſtem,
Vt lauet inde ſuam, quaſi pro medicamine frontem,
Obducit miſeros obducto lumine vultus.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

Si potum dederis, vomito pulmone peribit.
Hic totus niger eſt, ſed non & tota poteſtas.
Candida, dum prodeſt, dum lædit, nigra vocetur.

De Gelatia.

Eſt quæ candorem fert grandinis, atq; figuram,
Ictibus omnigenis inuicta Gelatia gemma.
Cuius naturæ vis tanta probatur, vt omni
Tempore frigida ſit, nulloq; caleſcat ab igne.

De Hexacontalite.

Hexacontalides lapis ex re nomen adeptus,
Qui quadraginta modico gerit ore colores,
Corporis exigui numero ſuſpendia ſupplet,
Dum tot gemmarum fert gemmula ſola decorem.
In Libya lapis hic reperitur apud Troglodytas.

De Chelonite.

Indica teſtudo mittit lapidem Cheloniten,
Gratum purpureo varioq; colore nitentem,
Quem ſi ſub lingua loto quis geſſerit ore,
Poſſe magi credunt hunc diuinare futura.
Orta manè die ſextam duntaxat ad horam,
Tempore quo Lunæ ſuccreſcere cernitur orbis,
Totius fertur ſpacio durare diei.
Quintæ poſt decimam concordant tempora primæ,
Et detrimenti lunaris tempore toto,

Ante

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

Ante diem tantum lapidi manet iſta poteſtas,
Eſt etiam nulli lapis hic obnoxius igni.

De Praſio.

Conſpicuis gemmis Praſius ſolet annumerari,
Sed non & caris: contentus quippe decore
Utile nil affert, niſi quod nitet, & decet aurum.
Altera ſanguineis eius ſpecies lita guttis,
Altera candidulis tribus eſt inſcripta lituris.

De Chryſtallo.

Chryſtallus glacies multos durata per annos,
Ut placuit doctis, qui ſic ſcripſère quibuſdam
Germinis antiqui frigus tenet, atq; colorem.
Pars negat & multi perhibent in partibus Orbis
Chryſtallum naſci, quas nec vis frigoris ulla,
Nec glacialis hyems unquam violaſſe probantur.
Sed certum cunctis, nec ſtat dubitabile cuiquam,
Quod lapis hic Soli ſubiectus concipit ignem,
Admotoſq; ſibi ſolet hinc accendere fungos.
Hunc etiam quidam tritum cum melle propinant
Matribus infantes quibus aßignantur alendi,
Quo potu credunt replerier ubera lacte,

De Galactite.

Nec minus & cineri ſimilem Galactida dicunt,
Cum mulſa tritum lac multiplicare bibenti,

Si tamen ante cibum fuerit poſt balnea ſumtus,
Aut ouis ex grauidæ lana traducere filum
Percuſſo lapidi decet, & circundare collo.
Sic ſe portantis fœcundet vt vbera lacte.
Dat facilem partum ſimili ratione ligatus
Ad femur illius, quæ parturiendo laborat.
At ſi mundato circumſpergatur ouili
Cum ſale mixtus Solis redeuntis in ortu,
Lacte replentur oues, ſcabieſq; maligna fugatur
Præterea tantis veteres hunc laudibus ornant,
Vt bona cuncta putent ſolum præſtare gerenti,
Quæ ſimul à reliquis iuncta virtute darentur.
Sed turbat mentem ſi clauſus in ore liqueſcat.
Hunc mittit Nilus, producit & hunc Achelous.
Lactis dat ſuccum tritus, lactiſq; ſaporem.

De Orite.

Lætiferos morſus niger atq; rotundus Orites
Quos fera vel cornu vel ſæuo dente peregit
Cum roſeo mixtus perfectè curat oliuo,
Per vaſtas eremos interq; feras gradientes
Illæſos ſeruat, morſus abigendo ferarum,
Qui viret & maculas albas habet: alter Orites
Caſibus aduerſis portatus vbiq; reſiſtit.
Tertius aſſeritur famæ grauioris Orites,
Altera pars cuius crebris nimis aſpera clauis
Altera leuior eſt corpus quaſi lamina ferri.

Hic

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

Hic facit appenſus ne fiat fœmina prægnans,
Aut vt, ſi prægnans fuerit, citò fundat abortum.

De Hyene.

Tollitur ex oculis lapis extollendus Hyenæ
Dictus Hyenia, quem veteres, ſi credere dignum,
Fatidicum numen memorant inferre gerenti.
Quo queat imbutus prædicere quæq; futura,
Sub lingua loto ſi contineatur in ore.

De Liparea.

Partibus in Libycis lapis eſt Liparea vocatus,
Ad quem ſponte ſua properat genus omne ferarum
Quas venatorum ſueuit labor exagitare.
Non eget ergo canum morſu, curáue ſagaci,
Saltus perluſtrans, lapidem qui geſſerit iſtum.
Sternendæ ſatis eſt venabula tollere prædæ.

De Enidro.

Perpetui fletus lacrymis deſtillat Enidros
Quæ velut è plena fontis ſcaturigine manant.
Cuius naturæ graue ſit deprendere cauſam.
Nam ſi decurrit lapidis ſubſtantia, quare
Non minor efficitur, vel non omnino liqueſcit?
Sin ros exterior deſcendit ad interiora,
Et ſemper refluit, cur ſe non impedit ipſum
Scilicet ingrediens contrarius egredienti?

De

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

De Yri.

Yrin dant Arabes, ſed gignit eum Mare rubrum
Chryſtallo ſimilem, cuius ſexangula forma.
Clara luce micans fert cauſam nominis huius.
Nam ſi ſubiecto radio ſit ſubdita Solis,
Proximus inficitur paries, varioq; colore
Arcus cœleſtis depingit vtrinq; figuram.

De Androdrama.

Androdrama lapis formæ quaſi teſſara quadræ
Dicitur argenti repræſentare nitorem.
Huius duricies quaſi duricies Adamantis.
Ipſe Maris rubri mixtus reperitur arenis.
Quem magus affirmat tantæ virtutis haberi
Vt poſsit præſens animos ſedare calentes.

De Optallio.

Auertens oculis animos Optallius omnes
Aſſeritur furum tutiſsimus eſſe patronus.
Nam ſe geſtantum viſum conſeruat acutum.
Ac circumſtantes obducta nube retundit,
Vt ſpoliare domos poſsint impunè latrones.

De Margaritis.

Tollitur è conchis ſpecies memoranda marinis,
Vnio dictus ob hoc, quod ab vno tollitur vnus
Nec duo vel plures vnquam ſimul inueniuntur

Cuius

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

Cuius ad ornatum laudatur candida forma,
Cum deceat veſtes, deceat nihilominus aurum
Conchæ temporibus certis referuntur hiantes
In cœlum patulæ rores haurire ſupernos,
Ex quibus orbiculi candentes concipiuntur.
De matutino fit clarior Vnio rore,
Ros veſpertinus fœtus ſolet edere fuſcos.
Et iuuenes conchæ baccas dant candidiores.
Obſcurat fœtus concharum grandior ætas.
Quantò rorantis fuerit plus aërishauſtum:
Tantò maiorem gignit roratio baccam.
Vltra ſemuncem plus creſcere nulla putatur,
Quod ſi celſa micent tonitru conuexa coruſco
Conchæ diffugiunt ſubita formidine clauſæ.
Sic intercepto conceptio deperit hauſtu,
Et fit abortiuum quod ceperat inde creari.
Inſignes baccas prædam maris India gignit.
Gignit & inſignes antiqua Britannia baccas.

De Panthero.

Pantheron multos teſtantur habere colores.
Nam niger, & rubeus, viridis, pallenſq; videtur,
Purpureus roſeuſq; ſimul, ſparſimq; colores
Hos habet, & vario diſtinctus ſchemate vernat.
Expedit hunc orto quàm primum Sole videri,
Vt victor poſsis omnes exire per actus.
Iſto namq; die poterit te vincere nemo.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

Pantheram patet eſſe feram diuerſicolorem,
India quam gignit, cuius pauefacta leonum
Voce fugit rabies, quam beſtia contremit omnis,
Cuius ad exemplar ſic eſt lapis iſte vocatus.

De Abſicto.

Abſicto nigri non vltima gemma coloris
Ad gratam ſpeciem rubeis interlita venis.
Pondere maioris menſuram corporis æquat.
Hæc ſimul admoto ſuſcepit ab igne colores,
Teſtantur calidam ſeptem durare diebus.

De Calcophono.

Calcophonos pulſata refert tinnitibus æra,
Quæ ſi tractetur reuerenter corpore caſto,
Vocis dulce melos aiunt conferre gerenti,
Et ne rauceſcant, liquidas defendere fauces.
Hic etiam nigrum perhibetur habere colorem.

De Melochite.

Infantum cunas virtute ſua Melochites
Protegit, & caſus abigit quoſcunq; futuros,
Ne teneros artus pars lædere poſſit iniqua.
Dat lapidum precium virtus cumulata decore.
Craſſum quippe virens ſimilis ſolet eſſe Smaragdo.
Hunc Arabum gentes prius inueniſſe feruntur.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

De Cegolito.

Cegolitus nucleo ſimilis perhibetur oliuo,
Aſpectu vilis, naturæ vi precioſus.
Namq; ſolutus aquis, & ab his quibus expedit, hauſtus
Dicitur eſſe potens lapidoſos ſoluere renes,
Veſicæq; ſimul purgare dolentis arenas.

De Pyrite.

Cui fuluus color eſt, cui nomen ab igne Pyrites,
Se vetat aſtringi, pertractariq; recuſat.
Tangi vult leuiter trepidaq; manu retineri.
Nam preſſus nimium digitos ſtringentis adurit.

De Diadoco.

Diadocos per aquam reſponſa petentibus aptus,
Dæmonis effigies varias oſtendere fertur.
Nec lapis eſt alius, qui fortius euocet vmbras.
Sed ſi defuncto quis forſitan applicet illum,
Protinus aſſeritur ſolitas amittere vires.
Nãq; ſacer lapis eſt, & quem mors ſternit, abhorret.
Hunc etiam perhibent ſimilem fulgere Beryllo.

De Dionyſia.

Nigra micat rubeis Dionyſia conſita guttis.
Hanc in aquam tritam vinum fragrare loquuntur.
Protinus ebrietas ipſius odore fugatur.
In quo naturæ ſolito nihil ordine currit

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

Cùm lapis ex lympha vini producit odorem,
Quamq́; citare ſolet, vinum fugat ebrietatem.

De Chryſelectro.

Eſſe Chryſelectrus ſimilis deſcribitur auro,
Cuius ad Electrum color inclinare videtur
Hic matutinis viſu iucundior horis.
Difficilem ſpeciem poſt aſpicientibus offert.
Cuius materies rapidiſsima dicicitur ignis.
Nam citò vicino correptus flagrat ab igne.

De Chryſopatio.

Æthyopum tellus lapidem Chryſopation edit,
Quem tenebræ produnt occultant tempora lucis.
Noctibus igne micans, vaneſcit luce diurna
Abſq; nitore iacens auri pallore ſepultus.
Hic quoq; naturæ mutatus cernitur ordo.

Concluſio operis.

Hæc ex innumeris excerpta vocabula gemmis.
Sufficiat noſtro collecta labore teneri,
Quæ decies ſenis diſtincta patent capitellis.

AVLA

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

AVLA DEPICTA.

Ex Luciani περὶ τῶν μισθοσυνόντων, *adumbratione proſopopæis & verſibus ab Henrico Ranzouio.*

PAlatium in faſtigio montis abrupto ſitum eſt, veſtibulo inaurato, lubrico & præcipiti aditu. In interiore parte domus OPVLENTIA ſedet, tota, vti apparet, aurea, deſiderabilis & ſui amore inflammans intuentes. Porrò amatorem aulæ ſtupeſcentem & aurum oculis deuorantem ſpes verſicolor introducit, recentem aulicum excipiunt duæ mulieres FRAVS & SERVITVS: Hæc labori per manus tradit: illa confectum & morbidum ſenectæ committit. Poſt contumelia agit ad deſperationem. Ex hinc ſpes auolans euaneſcit. Tum verò miſer extruditur non per aureas quas ingreſſus erat fores, ſed per poſticum quoddam tenebroſum & occultum pallens, tremulus, ventriculoſus, annis panniſq; obſitus. Deniq; eiecto occurrit POENITVDO. Poſtremò tot modis confectum & iam trepidum, incuruum, in ipſo contumeliæ dolore ſagitta interemptum, mors optatiſsima ſola fœderis tenax præcipitat in egeſtam ſcrobem.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

EMBLEMA DE Aula.

Mœnia, quæ ſummo ſpectant de vertice montis
Sydera, dic quod nam nomen & omen habent?
Aulam Roma vocat, ſedes Regumq; ducumq; eſt,
Luxu, diuitijs, ambitione potens.
Lubrica mortalis vitæ & ſinuoſa palæſtra,
Excipiens prauos non minus atq; bonos.
Cur iuuenis, lauri reſidens viridantis in vmbra
Triſtia defixus lumina ſpectat humum?
Ille operum patiens mœſto ſub corde volutat
Quam malit vitam, quod ſtudiumq; ſequi,
Ne trahat ignauam laſciua per otia vitam,
Molliaq; ætatis tempora ducat iners.
Spes Dea cur niuea iuueni ſtat proxima palla
Commonſtrans digitis regia tecta ſuis?
Allicit incautas iuenum Reſpublica mentes,
Et ſplendor nimias qui comitatur opes.
Sed cur aſtat honor, Tyrio velatus amictu,
Cui leuis ambroſio ſpirat odore coma
Nominis & famæ cuncti fulgore trahuntur,
Ambitio multis exitiale malum eſt.
Cur fortuna aſtat læto blandiſsima vultu?
Adiuuat audaces ſorsq; Deusq; viros.
Ergo quiſquis amas vitam traducere in aula,
Contingit votis Aula petita tuis.

Fata

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

Fata hominum cedunt interdum proſpera cœptis,
Irrita nec ſemper fert pia vota Notus.
Quid de nocte ſtruunt Bacchuſq;, Cereſq;, Venuſq;?
Otia lethifero candida melle fouent.
Hæc capiunt fluxa iuuenum dulcedine mentes,
Vt ſe regna Deos inter habere putent.
Interea luxu tranſactæ corpora noctes
Attenuant, animis & vigor omnis abit.
Cur abiecta iaces Pallas? cur aliger ille
Hanc leuat & pictas non ſinit ante fores?
Nil animum formâſſe iuuat, pietate boniſq;
Artibus, & mores addidiciſſe graues:
Si non eloquio polles, verſatile ſi non
Affers ingenium multipliceſq; dolos.
At iuuenem excipiens aurata compete vinctus,
Dic cur regales ſtat labor ante fores?
Sit licet immenſo circumdatus aulicus auro
Suſtinet immenſi grande laboris onus.
Succeſſuſq; dolens hominum, cur iuncta labori
Squallida vipereo felle ſtat Inuidia?
Nemo fuit, nec erit tam præſtans fortibus auſis,
Vt valeat morſus effugere Inuidiæ.
Vt comes eſt radios per Solis euntibus vmbra:
Virtutem liuor ſic comitatur iners.
Aulai in medio cur torua Calumnia picta eſt,
Et, quam præterea, cætera turba, vides?

Quò

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

Quò non ſacrilegæ penetrant mendacia linguæ
Iactaq; ſub blandis ſcommata ſalſa iocis?
Nam quicunque ſua virtute emergere neſcit,
Obtrectare aliįs, creſcat vt ipſe, ſolet.
Dic cur perfidia aßiſtit? quia tempore noſtro,
Sub blando eſt fidei nomine rara fides
Peßimus is certè eſt inimicus, quiſquis amicus
Creditus, occulta ſubdolus arte nocet.
Quid fallax media vult Aſſentatio in Aula,
Mollia caudatæ tegmina vulpis habens?
Quiſquis adulari, palpumq; obtrudere neſcit
Blandius, hunc aulam non adiįſſe velim.
Nam paraſitus edax Regum dominatur in aula
Principibuſq; placet dulcior ore Colax.
Semper adulator veſcens popularibus auris
Blandiloquus, domino quæ placuêre probat.
Cur iuuenem rurſus Nemeſis deturbat ab aula,
En quàm non magnis eiįciens foribus?
Admonet hæc Nemeſis, ne quis nimis alta requirat:
Eſt aliquid paruam poſſe habitare caſam.
Multos aula viros ad ſummum euexit honorem,
Aulaq; permultis attulit exitium.
Ferre moram, moderari iram, contemnere riſum,
Dura pati, cunctos aulica vita docet.
Cur morbus pallens regali limine pulſum
Excipit, & tremulo tarda ſenecta pede?

Debe-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

Debebant multi poſito bene fine malorum
Viuere non vllo ſollicitante metu.
Quos vbi iam ſubeunt morbi, triſtiſq́ ſenectus,
Deijcit extremo tramite cauſa leuis:
Deſpectiq́ Iacent, & dulcia limina ſæpe
Eiecti mutant, exilioq́ domos.
Nil fulſiſſe iuuat meritis inſignibus olim:
Nil rerum molem ſuſtinuiſſe grauem.
At cur aßiſtit tumulum propè noxia torquens
Spicula, funeſta mors violenta manu?
Fallit ſpes & honor, fallit fortuna laborq́,
At lacheſis certam ſeruat vbiq́ fidem.
Rebus ab immodicis animum ſubducito ſemper:
Ante oculos vitæ ſit tibi meta tuæ.

IVDICIVM HENRICI Ranzouij de ira principum.

VIOLENTA res ira principum, cui ſi incommodè reſiſtas, grauiores excitant tumultus. Equi quemadmodum feroces non vi, ſed popiſmate leniuntur. Et nautæ non pugnant aduerſus impotentem tempeſtatem: ſed vel quiete vel obliquis curſibus vtentes, expectant cœlum commodius. Multis rebus medetur tempus, quas nulla vi emendare poſsis: Res humanæ ſemper quidem fluctuant, ſed quoties incidit inſignis, aut fatalis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

rerum mutatio, multi periclitantur, qui non cedunt turbini.

Idem verſibus Heroicis.

Res grauis eſt Regum commota furoribus ira,
Cui ſi importunè conere reſiſtere, turbas
Dant modò maiores, ac miſcent cuncta tumultu:
Haud ſecus ac ſonipes nondum aſſuefactus habenis
Non vi, ſed blando regitur popiſmate vocis,
Nec nautæ ſoliti cum ventis cernere bello,
Sed dirum obliquis declinant curſibus agmen
Inſani Boreæ, aut planè in ſtatione quieſcunt:
Multa adeò longo curantur temporis æuo
Viribus in melius quæ poßis vertere nullis:
Sors incerta quidem ſemper mortalia verſat:
Sed quoties rerum inſignis mutatio fatis
Ingruit, in ſæuum facilè diſcrimen aguntur,
Credere qui duræ ignorant ratione procellæ,

Aliter verſibus Elegiacis.

Ira grauis Regum eſt, cui vi ſi fortè repugnes,
Inſano turbant cuncta furore magis.
Vt ſonipes non vi, ſed victus ab arte domatur
Nauta nec in ventos irrita bella mouet.
Sed fugit obliquis Borealia murmura velis,
In tuta tacitus vel ſtatione manet.

Multis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

Multis ſæpe dies atq́ ætas longa medetur
Quæ nulla in melius vi retuliſſe queas.
Caſibus incertis mortalia cuncta rotantur,
Præſentiq́ horæ vix ahhibenda fides.
Sed tamen ille ſapit, qui in tempore cedere nouit,
Cum fatale Iouis fulmen ab arce cadit.
Perfer & obdura, nobiliq́ reſiſtere fatis,
Tempus erit tibi cùm proderit iſte dolor.
Diſcito fortunam placidè ſuperare ferendo,
Atq́ animum ſortis ſpe melioris ale.
Suggeret ingenuas animo tolerantia vires:
Vincere felices ſpes ratione docet.

In tabulam caſus Phaëthontis.
Henricus Ranzouius.

Aſpicis vt Phaëthon rapido Iouis occidat igne
Nil mirum, punit corda ſuperba Deus.
Hic veros habuit clymenen Meropemq́ parentes,
Iactauit Phœbo ſe tamen eſſe ſatum.
Quinetiam conſcendit equos, ſoliſq́ quadrigas,
Atq́ ſuis impar viribus vrſit opus.
Sed mortalis vbi temere celeſtia captat,
Neutrum habet: at faſtus præmia fulmen habet.
Te modulo metire tuo, qui talia ſpectas,
Ne grauet infirmum ſarcina magna caput.
Qui fueris hic eſſe velis, ſublimia vites:
Vltrà qui ſortem non ſapit, ille ſapit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

HENRICVS RANZOVIVS.
H. Huſano, I. C.

Huſane Aonidum decus immortale ſororum
Nunc & Apollinei gloria magna chori:
Proſequitur meritò ſummo te Phœbus amore,
Quod duplex ſtudium diligis atq́ colis.
Nam tua Pagaſeum guſtarunt ora liquorem
Vtilis iſta liquor vatibus eſſe ſolet.
Hinc tibi perfacili funduntur carmina vena,
Grata magis, feſſis quàm ſopor eſſe ſolet.
Præterea celebrem te multa ſcientia legum
Reddit apud celebres conſpicuoſq́ viros.
Hoc quoq́ te Phœbus, legum iuriſq́ repertor,
Nomine quo par eſt, ſemper honore colit.
Siue quis ergo ſacræ Themidos proſtratus ad aram,
Auxilium implorat conſiliumq́ tuum:
Vtilis eſſe potes perplexa negocia ſoluens,
Tam ſolers animo es, tam ſimul ore vales.
Siue quis, vt numeris conſtringas verba ſonoris,
Te rogat extemplò Naſo paratus adeſt.
Cultoriq́ ſuo ſuauiſſima carmina dictat,
Quæ flores Hyblæ vincere poſſe putem:
Hæc mihi cauſa fuit, quod nuper epiſtola miſſa eſt,
Pieridum columen iuſtitiæq́ tibi.
Scilicet vt tentes aulai pingere monſtra,
Crimina ſi ſaltem dicere monſtra licet.

Proch

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

Proch dolor immodicè quæ nunc graſſantur in aulis,
Rara quidem pietas eſt vbi, rara fides.
Inſuauemq́ pijs vitam cultoribus aulæ
Reddunt, & ſecum plurima damna trahunt.
Da voti fiam compos ſuauiſsime vates
Ranzouio mittens carmina grata tuo.
Nam potes hoc, tutoq́ potes præſtare quod opto,
Iſta tibi multis cognita vita modis.
Nam vices varias ipſe es perpeſſus in aula,
Temporis elapſi ſi meminiſſe velis.
Quam ſit vita grauis noſti aulica, nouit & ille
Qui dixit longas regibus eſſe manus.
Quàm graue ſit tumido ſeſe committere ponto
Dicere quis melius, quam tibi nauta poteſt?
Aulica nec melius mihi quiſquam pingere fata
Te quoniam fueris aulicus ipſe poteſt.
Quò minus hoc facias tibi nil obſtare pericli
Nunc Huſane poteſt, nullus & eſſe timor.
In portu poteris nam tutò pandere vela,
Quæq́ animus ſentit, dixeris abſq́ metu.
Cur tibi non ſumis, mihi quem das, ipſe laborem,
Res mihi ſolliciti plena timoris erit.
Attamen, vt fuerint nobis tua carmina miſſa,
Noſtra quidem reddet paucula Muſa tibi.
Hæc prius vt par eſt, votis ardentibus optat
Cernere iudicium vir memorande tuum.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

Ergo fert animus numeris imponere finem,
Claudemus tali carmina noſtra modo.
Nil magis inſtabile eſt, facies quem ſplendida cœli,
Quam ſubito caſu diſperijſſe vides.
Ter fundit lachrymas, ter ſudus redditur aër
Omniaq; hæc etiam perficit hora breuis.
Sic regnum fauor eſt, omnes mutatur in horas,
Et vicibus varijs aulica vita perit.

Chilonij, Kal. Septemb. Anno 1580.

DE AVLA.

D. Henrici Huſani, vbi dictum Saluſtij.

Quòd regiæ voluntates, vt vehementes, ſic mobiles ſæpe ſibijpſis aduerſæ, explicatur.

Seruiui patriæ diuerſus miſſus in oras
Gratia dum cari ſalua manebat heri:
Obrutus aßidua multorum mole laborum,
Ut variè curas erogat aula ſuas.
Triſte ſed heu precium nactus ſub fine laborum,
Expertusq; tuum mobilis aula fidem.
Qui me forte leges veſtigia deditus aulæ,
Huc ades, exemplo diſce docendo meo:
Fidere nec magnis ducibus nec regibus auſis,
Ah miſer illorum quiſquis adorat opes:
Quippe voluntatis, fortunæ, deniq; vitæ
Vnica quos certos non videt hora ſuæ.

Sunt

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

Sunt homines, magniq́ duces Regesq́ ſuperbi,
Fallit in humanis ſpes ſita præſidijs.
Mobilis Euripo magis eſt humana voluntas,
Semita fortunæ lubrica, vita fugax.
At ſi perpetuò conſtat diuina voluntas,
Æterno ſtabilis vita vigore manet.
Finibus arctata eſt immenſa potentia nullis:
Ergo ſit in ſolo ſpes tua fixa Deo.

Cautio aulica Doct. Huſani.

Qui controuerſa de religione, viriſq́
Principibus loqueris, pauca loquare bene.
Ne vox per iugulum redeat tibi, linguaq́ magnum
Attrahat incauta futilitate malum.
Ergo quod eſſe vides in eis laudabile, lauda:
Cætera, ſed tacitè diſsimulare potes?

Regula Aulica,

Mancipij quicunq́ tui potes eſſe, caueto,
Ne te mancipio ſubiuget aula ſuo.
Si tamen aula tibi placet & cultura potentum
Hæc præcepta memor mente reconde tua:
Prima timere Deum ſit lex, agere altera rectè
Tertia mercedem dum datur accipere.
Quarta fauori adeò nunquam confidere herili
Huic ſimul ut credas corpus, opeſq́ tuas.

Ad aulicum dulci fortuna ebrium.

Dum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

Dum te Reges equi geſtant curruſq; citati,
Per populoſq; ſono quadrupedante ruis,
Quid ſis, quid fueris, quid poſsis eſſe, moneris
Qualibet à currus circumeunte rota.
Aſpice quos apſis ſurſum vehit incita canthos,
Hi verſo iam mox orbe teruntur humi.
Talis vita hominum eſt, talis fortuna per aulas:
Si ſapis, inſtabili fidere parce rotæ.

De Curto Cane Ducis Iohannis Mechelnburgenſis, H. Huſan.

Nare ſagax, animo præſtans, gratiſsimus aulæ
Delitiæ Domini: gloria prima canum:
Diſreptus perijt malè cicure Curtus ab vrſo
Colluſore diu quo prius vſus erat.
Magnorum quicunq; ducum verſaris in aula
Cicuribus nimium fidere parce feris.

Morus de Aula, quibus verſibus quaſi exitium ſibi præſagijt.

Sic inter domitos ſine noxa ſæpe leones
Luditur, ah noxæ non ſine ſæpe metu.
Infremit incerta crebra indignatio cauſſa,
Et ſubitò mors eſt, qui modò ludus erat.

Conqueſtio canis, & applicatio eiuſdem ad aulicos.

Dum licuit, domini fidus cuſtoſq; comeſq;
Inter eram celeres gloria prima canes.

Quin

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

Quin etiam reliquos ſuperabam curſibus omnes,
Cum pede venabar non remorante feras.
Sed poſtquam ſenio confectus tardior eſſe
Incepi: & me omnis gratia deſeruit.
In contemtum abij, dominusq́ nihil memor acti
Olim ſeruitij, me quoq́ deſeruit.
Inſuper ante diem fato mulctauit amaro,
Et percuſſori præmia larga dedit.
Sic quoq́ dum vegeto ſua munia robore curat
Aulicus, in precio permanet ille ſuo.
Dumq́ vigor ſtudij dum vires corporis adſunt
Acceptus cunctis ille miniſter erit.
Sed miſer aßidui ſi fractus mole laboris,
Se queritur ſenij debilitate premi.
Nec ſolitas ſolita felix res conficit arte,
Et putat hunc iſtis non magis eſſe patrem:
Aulica decreſcit mox gratia: linquitur ille,
Mercedem emeriti percipit atq́ canis.

De Aula, H. Cunradini.

Aula quid eſt? ſplendor mundi: faſtiga vitæ:
Res videt Aula graues Marte, togaq́ geri.
Aula quid eſt? labes mundi: faſtigia vitæ:
Sæpe malas etiam res videt aula geri.
Curarum pelagus, vaga ſpes: via plena pericli:
Splendida damna: quies irrequieta: dolor.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

Sæpius vtilius nihil eſt & clarius Aula:
Vtilis, & clara eſt Aula: ſed ignis edax,
Si quis abeſt nimium: non percipit inde calorem
Si quis adeſt proprius, læditur igne ſtatim.
Nec propè, nec procul hinc ſit, qui vult carpere fru-
Tutior omnino eſt, ſi quis abeſſe poteſt. (ctum,

De Aula Peucerus.

Aula ſuis rapidos imitatur moribus ignes:
Errat ad hanc facilem qui putat eſſe viam.
Vrêris, propius ſi paulò acceſſeris: at mox
Frigidus algebis, ſi procul abfueris.
Si medium teneas, calidi ſplendoris ab aula,
Quæ ſatis eſt, nunquam copia defuerit.
Ergo frequens aulæ caue ne ſis hoſpes: eandem
Nec fugias, felix ſi cupis eſſe diu.

Antonius Cautius iuniorum principum Hollatiæ præceptor de Aula.

Aula vt ignis.

Vicinum torret, longinquum non iuuat ignis:
Sic neutro potis eſt aula iuuare modo.
Ni nimium ſemotus eris, nimiumúe propinquus:
Vtilis ignis erit: proderit aula ducum.

Aliter.

Aula vtenda datur prudentibus, ignis ad inſtar,
Quæ propè nec nimis eſt, nec procul, aula iuuat.

Ad

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

Ad Fabrum N. Reuſnerus.

Ceu flamma, ſic tu, Faber, vtere principis aula
Si procul es friges, ſin prope flamma, cales.

In eandem ſententiam Henricus Ranzouius.

Aulica vita, genus vitæ eſt, quod ſplendet, & eſſe
Creditur à multis de meliore nota.
Reclamant alij, qui, quam ſit plena timoris
Aulica vita, ſuo iam didicere malo.
Gratia nam regum magno quærenda labore,
Et varijs curis eſt redimenda tibi.
Nec tamen eſt ſtabilis, ſed lubrica, falſa, caduca,
Semper & in magno te facit eſſe metu.
Nam fumus tenues velut euaneſcit in auras,
Et cito bulla vagi ſitq́ue peritq́ue maris.
Sic quoque res fauor eſt magnorum euanida rerum,
Cùm minimè ſperas, auolat atque perit.
Momentoq́ue licet non acquiratur in vno,
Sed conſtet magno ſæpe labore tibi.
Momento penitus tamen hic extinguitur vno
Imprimis cum tu dixeris: Aula vale.
Tum tibi præteriti reſtat non vlla laboris
Gratia, ſed ſæuum fulmen ab arce venit.
Tumq́ue tuam cingunt vel mille pericula vitam,
Ac in ſollicito cogeris eſſe metu.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

Hinc fit, prælustri velit vt quis viuere in aula
Suauius eſſe nihil, ſplendidiuſúe putans.
Et tamen expertus vitæ genus oderit illud
Vitandum cunctis nil magis eſſe putans.
Aula quid eſt igitur niſi res, quæ ſplendida cùm ſit
Cultori tamen eſt tota moleſta ſuo.
Tempore nam veluti brumæ, cum ſtiria tecto
Pendet, & eſt acri terra peruſta gelu:
Tum ſi quis fuerit calido ſemotus ab igni
Algendo tepidum quærit vbiq; focum.
Idem ſi propius flammas acceſſerit ignis
Vritur, & damnum læſus ab igne capit.
Sic quoq; fit claris Aulaï ſæpe miniſtris,
Quos externa rei fallere larua poteſt.
Eſſe putant miſerum regum non viuere in aulis.
Cum poßint lauta viuere ſorte ſibi.
Aſt aula fructus vbi guſtauêre moleſtos,
Eſſe bonum perhibent viuere poſſe ſibi.

De Aula.

Dulcis in experto res aulica vita putatur
Experto contra triſtis amaricies.
Vtri credendum? res eſt tutiſsima, doctis
Credere, & alterius rem didiciſſe malo.

Aliud.

Vtilius quò quis malè gratæ ſeruijt aulæ:
Expoſitus damnis hoc magis eſſe ſolet.

Præte-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

Præterit obſcuram virulenta calumnia turbam,
Quiq́ magis proſunt, hos magis illa grauat.

Aliud.

Si ſimulare potes bene diſsimulanda, viciſsim
Diſsimulare etiam ſi ſimulanda potes:
Aulicus es præſtans, nec te præſtantior alter
Eſſe poteſt, ſummam totius artis habes.

Aliud de Aula.

Magnorum ingentem ſpem pluribus aula bonorum
Dum facit, incautos allicit illa viros.
Allectos longo blandè quoq́ tempore lactat,
Suſpenſos animis ſollicitoſq́ tenens.
Sed grauium tandem ſero ſub fine laborum
Fruſtratos, probris afficit, atq́ fugat.
Exempla hiſtoriæ vetereſq́ nouæq́ recenſent,
Et ſatis illorum quælibet aula dedit.

Aliud.

Tutius in caula, blanda quàm viuitur aula:
Aula ſecurus, qui caret, ille ſapit.

Aulicus ſenex.

Contriui miſerè miſer tot annos
Guſtando mala, gratias agendo.
Sperando, ingenueq́ ſeruiendo,
Tantorum mihi præmium laborum
Sunt ſerò ſapere atq́ pœnitere.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

Aula vale non me tua ſors iuuat amplius, Aula,
Mors mea: quos nimium diligis, ipſa necas.

Fabula de duobus Aſinis, qua vitæ aulicæ conditio depingitur, H.R.

Aſſuetus ſyluis aſinus, cum forte iacentem
Aſinum ſub vmbra cerneret.
Manſuetum nitida cute, nec non corpore craſſo
Sic cogitâſſe dicitur:
O te felicem, cui ſtertere ſolis in vmbra
Nitida licet cuticula.
Mox fertur dixiſſe tamen, cum vidit eundem
Onus ferentem maximum
Ac agitatoris patientem verbera dura:
Non te beatum iudico
Nam tua cum magno bona ſunt confuſa labore,
Iniuriaq; fuſtium.
Quid voluit ſapiens ac ingenioſa vetuſtas
Nos hac monere fabula.
Confuſus quod cum non paruo ſæpe timore
Vitæ nitor ſit aulicæ.

De Bubulco in eundem finem, H.R.

De armento fertur vitulum amiſiſſe Bubulcus
Fidei ſuæ concredito.
Omnes ergo obijt ſyluas, vt quæreret ipſum
Omneſq; ſolitudines.

Aſt

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

Aſt operam multam fruſtra, magnumq́ laborem
Cùm quæritans abſumeret.
Tale Ioui votum fecit, mactare quod illi
Hædum velit pulcherrimum.
Si modo, qui vitulum armento rapuiſſet ab iſto,
Oſtenſus eſſet fur ſibi.
Vouerat iſta Ioui, & mox ſaltum numine quodam
Delatus eſt in proximum.
Vix erat ingreſſus: truculentum forte leonem
Vitulum vorantem conſpicit.
Cuius ad aſpectum magna formidine mentis
Inquit Bubulcus, percitus:
Iuppiter ó ſupreme poli moderator & orbis
Qui ſolus omnia conſpicis
Debetur, fateor, tibi nunc pulcherrimus hædus
Quod vota fas eſt ſoluere.
Cumq́ meo magno vituli fur, prò dolor, eſt mî
Oſtenſus infortunio.
Sed taurus tibi nunc eſto donatus opimus
Vt me miſellum protegas
Eripias, ne ſim truculento præda leoni
Ac ipſemet diſtorquear.
Fabula teſtatur multos ſibi noxia votis
Ardentibus precarier.
Inter quos aulæ poteris numerare miniſtros
Eius grauatos tædio.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

In vitam aulicam.

Qui trahere infelix ſpecioſo in carcere vitam,
Cunctaq; dura pati vult ſponte: moretur in aula.
Qui ſeruis ſeruire, moram qui ferre recuſat,
Seq; irridendum præbere, recedat ab aula
Spemq; metumq; inter dubius qui viuere non vult,
Omnia qui neſcit ſimulare, recedat ab aula
Qui verè eſſe pius, qui ſobrius eſſe laborat,
Quiq; valere diu, nocituram deſerat aulam,
Aula locus fortuna ſuos vbi lubrica luſus
Ludit, & exaltat nunc hos nunc deijcit illos,
Aula mare eſt, quo non aliud furioſius vllum
Non quo naufragium contingat crebrius vllum
Aula fera eſt capitum multorum bellua ſeruos,
Peſſundans plerumq; ſuos: O terq; quaterq;
Infelix fatua quicunq; ſeneſcit in aula.

De Aula.

Splendidius nihil eſt aula, & cultoribus aulæ
His quibus vrbanis contigit eſſe locis.
Triſtius at nihil eſt aula & cultoribus aulæ
His qui regales incoluêre domus.
Externam ſpectes ſi laruam ſplendida res eſt
Aula, nec à paucis quæritur ipſa viris.
Aurea quos torques iuuat, ac hiacinthina veſtis,
Quiq; ſalutari numina magna volunt.

Hic

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

Hic oculos hominum ſplendor perſtringit vt omnes
Hoc vitæ adfectent nocte dieq́ genus.
Longè aliud ſentit, regum qui vixit in aula
Cui velut experto maior habenda fides.
Is genus hoc odit vitæ cane peius & angue
Et metuit veluti læſus ab igne puer.
Nam fauor inſtabilis regum eſt, mutatur in horas
Et citius quam ſit (tu mihi crede) perit.
Eurypus abſorbet nunc, & nunc euomit vndas:
Sic quoque magnatum dicitur eſſe fauor.
Eleuat atq́ premit, bona dat terreſtria & aufert
Iam ridet, toruum iam videt atq́ furit.
Splendentiſq́ velut lunæ variatur imago,
Et tandem nullo cernitur eſſe loco.
Gratia ſic regum momento extinguitur vno
Et leuis eſt ratio, qua reus eſſe queas.
Dictio ſæpe mouet magnatibus vnica bilem
Et tibi ſit magni fons & origo mali.
Si mihi non credis, Salomoni credito regi,
Conſilium ſuaſor, qui tibi tale dedit.
Cœnandum fuerit tibi ſi cum principe, fili
Frænando linguam mox cohibeto tuam.
Et cultrum iugulo ſupponito, ſi tibi vitam
Expetis, & placitos quæris habere dies.
Finge bonum regem, tamen vnica regnat in aulis
Beſtia cordatis inſidioſa viris.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

Qua nec Tiſiphone, nec Alecto, aut vlla Megæra,
Si rabiem ſpectes, tetrior eſſe poteſt.
Hæc quoq; virtuti laudem concedere neſcit
Peßima, ſi nomen quæritur Inuidia eſt.
Hæc ſequitur benefacta viri, ſed dente canino,
Nigra ſolet paßim corpus vt vmbra ſequi.
Exemplum præbet tibi Belliſarius heros
Qui belli primum dux fuit eximius.
Et tandem in triuijs exegit duriter annos
Cæcus & exutus poſt benefacta bonis.
Ergo quid aula? grauis libertas, dulce venenum,
Anxietas animi ſplendida, dura quies.
Hæc aulæ facies natiua eſt, deſipit ille
Si quis, cùm poßit, non fugit illud onus.
Aula exi, moneo, nihil inconſtantius aula,
Et regum falſus dicitur eſſe cibus.
Aſt honor eſt, aurũ non eſt, quod ſplẽdet vt aurum,
Hic honor, eſt onus, & deniq; dulce malum.

De vita aulica, H. R.

Aulica vita licet multis ſit ſplendida pompis
Non tamen eſt felix vita putanda diu.
Nam ſedes Stygij eſt turpißima dæmonis aula
Aulicus hunc etiam quilibet ipſe refert.
Non etenim cultus diuini numinis vllus
Eſt ibi, ſed factu pectora cæca tument.

Crimen

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

Crimen & inuidiæ ſemper dominatur in aulis,
Omnis ibi pietas exulat, atq; fides.
Nec ſatis eſt tutum domino ſeruire potenti
Qui ſtricto offenſus vindicat enſe ſuas.
Sæpe ibi per ſortem multi tolluntur in altum
Continuo lapſu qui grauiore ruunt.
Non ſecus atq; rotæ pars infima tendit in altum,
Hæſerat obſceno quæ modo fixa luto.
Perq́; vices rurſum, quæ pars verſatur in altum
Depreſſa obſceno mergitur vſq; luto.
Fluctuat aula velut tumidum mare partubus orbum
Mergitur in cuius naufraga puppis aqua.
Inuiſusq́; ſtatim domino, cum debita longi
Seruitij tandem præmia poſcis, eris.
Si tamen interdum ſectari cogeris aulæ
Limina, præcepti ſis memor vſq; mei.
Scilicet ardenti dominis vtaris, vt igni,
Quem merito dominis aſsimulare licet.
Si quis enim calidùm nimium prope frigidus ignem
Accedit, calido læditur igne citò.
Si quis at abſuerit nimium procul inde remotus
Alget & inde parum commoditatis habet.
Sic etiam domino qui ſemper inhæret eidem
Huic erit inuiſus, cui modo charus erat.
Si quis at interdum felici ſydere præſens
Adfuerit, ſed mox rurſus abeſſe ſtudet.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

Crede mihi multo reliquis erit ipſe miniſtris
Gratior atq; etiam præmia plura feret.
Ad nutum domini ſemper componito vultum
Ne grauis ipſius te premat ira diu.
Si te proſequitur forſan Rex ipſe fauore,
Tunc tibi crede mihi, cætera turba fauet.
Lubrica ſed ſimul ac mutatur gratia regis,
Nemo tuam cauſam, qui tueatur, erit.
Quanto deterior quiſq; eſt, ac vilior aula
Tanto maiori debet honore coli.
Multa ibi, quæ non ſunt, tacitè ſimulare neceſſe eſt
Atq; eadem rurſus diſſimulare decet.
Hæc præcepta tibi non aſpernanda relinquo
Horum vt ſis, felix, ſi cupis eſſe, memor.

De Aula.

Splendida, qui dicit, magnum patet aula per orbem,
Meq; tenet, multos, quæ ſimul aula tenet.
Me decor, & mirè comitatur gratia plauſu,
In terris mihi nunc credo fauere Deos.
Quæ cupis iſta tenes: huic experientia reddit:
Tu belle hæc dicis: cætera quæſo vide.
Luxuries, epulæ, nugæ, conuicia, rixæ,
Ebrietas, liuor, culpa, libido, ſtupor:
Cuncta tuos, quos nunc dicis, comitantur honores:
Et nihil eſt, ſimul hac quod modo laude vacet.

Gratia

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

Gratia magna licet: tamen hæc virtute carebit
Cunctaq; ſunt, quæ tu colligis, aura, nihil.

De Aula Philip. Melan.

Si te fucoſis inuitat honoribus aula
Semper erunt comites, cura dolorq; tibi.
Mox certè inuiſus, iterumq; excluderis aula,
Sollicitì tangunt anxia corda metus.
Sed ſi pertuleris, animo faſtidia magno,
Non poterit longi temporis eſſe dolor,
Et muſis poſthac tranquilla mente vacabis,
Barbara quas nunquam non vetat aula coli.

Lutherus de Aula.

Intus quis? tu quis? aperi: quid quæris? vt intrem:
Fers aliquid? Non: eſto foras: fero: quid? ſatis: intra.

Deo omnia noſtra curæ eſſe, eumq; aduerſa, quæ nobis accidunt ſemper in bonum dirigere finem, H.R.

Quicquid in hoc faſto mortalibus accidit orbe,
Siue ſit hocce bonum, ſiue ſit hocce malum.
Cælitus hoc domino fit permittente ſupremo:
Qui Deus eſt ſolus condita cuncta regens.
Conſilioq; Dei, quæ ſunt decreta potentis,
Vlla vitari non ratione queunt.
Hinc quoq;, cùm fatum magnas à numine vires
Accipiat, fato noſtra ſubeſſe ſcio,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

Cuncta Deo parent, parent ſimul omnia fato
Cum decreta Dei fata mouere putem.
Ergo mihi ſi quid fauſti vel ſi quid acerbi
Eueniat, placido pectore vtrumq; feram.
Noui etenim (bonitas cum ſit Deus ipſa) quod illud
Ad finem tandem ducet agetq́; bonum.
Cùm vel ab aſſuetis me ſic reuocare laboret
Criminibus, petulans ne, velut ante, ſiem,
Vel commiſſa, patris ritu, peccata benigni,
Sic mea caſtiget, ne grauiora feram:
Vel quia vult alios noſtra quoq; clade moneri,
Illos ne ſimilis poſt quoq; pœna grauet.
Nec noua ſunt, quæ fata ferunt, nec mole pericli
Prudentum mentes terrificare queunt.
Sunt etenim noſtri paßi grauiora priores,
Antiquum eſt nobis, quod fuit hiſce nouum.
Et mihi ſi mortem minitentur fata propinquam
Qua nihil hic nobis triſtius eſſe ſolet:
Fata, voluntatis diuinæ nuncia, promptus
Sponte ſequar, vitæ eſt mors quia porta nouæ.
Fata ſequar nec erunt mea vota rebellia fatis,
Cum nil fata, Deus ni moderetur, agant.
Alme pater vitæ qui das primordia noſtræ,
Quiq́; ſacro nobis munere ſemper ades:
Fac etiam vitæ felix ſit & exitus huius,
Vltima nec mortis ſit grauis hora mihi.

REVS-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

REVSNERVS.

Qui mala fert malè, bis mala fert male, biſq; dolore,
Fit miſer: at, mala qui fert bene, victor abit.

Aliud.

Prudens, ne veniant mala, curat: fortis ad æqua,
Si ueniat tolerat mente, ferendo, mala.

MARSILIVS VICINVS.

Virum ſapientem, felicemq; eum puto, qui cum ex ſolo pendeat Deo, medijs calamitatibus viuit lætus, quem nec metus exanimat, nec dolor excruciat, nec voluptas corrumpit, neq; libido inflammat, & cui ad vota cuncta ſuccedunt, qui omnia, quæ vult habet, ille ſingula habet, qui nihil deſiderat, ſorte ſua contentus, & eo quod natura poſtulat.

Aliud dictum ex Xenophonte paucis nonnihil mutatis deſumtum.

Qui tolerantia antecellit, vbi laborandi eſt tempus: & robore, vbi fortitudinis eſt propoſitum: & mente, vbi conſilij opus adeſt, hic profecto videtur iure optimo vir bonus apprime putandus: Is qui ab amicis decipitur, haud vituperandus: qui verò ab hoſtibus, maximopere accuſandus eſt. Qui nil credentes decipit, ſapiens eſt iudican-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

iudicandus: Qui verò credentes fallit, impius eſt habendus.

AD VIRVM GENEROSVM
ac nobilem D. Henricum Ranzouium, &c.

Nobilis ac generoſe Domine, fautor & promotor ſubmiſſa mihi obſeruantia colende, Cùm Euacis Regis Arabum libellum de gemmis, ex V. G. Bibliotheca inſtructiſſima depromtum, eiuſdemq; opera primò integrè editum, denuò impenſis meis euulgandum ſuſcepiſſem, iamq; ad finem ferè perduxiſſem: incidi in Ranzouianæ familiæ Genealogiam, Hamburgi nuper ac Schleſeuici impreſſam. Eam igitur huic opuſculo ſubijcere decreui, hac concepta fiducia, tum generoſitati veſtræ, tum doctis omnibus, qui hiſtoriarum cognitione delectantur, illud non fore ingratum. Quod ſtudium meum, vt V. G. boni conſulat, meque ac meas operas commendatas ſibi habeat, etiam atque etiam peto. Datæ Lipſiæ, 25. Maij, Anno 1585.

Henningus Gros.
Bibliop.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

GENEALOGIA Ranzouiana,

PRIMUM PUBLICATA.
Anno Domini
M. D. LXXXV.

Tantam vim atque neceſsitatem poſſidet paternus maternuſq; ſanguis: vt ſi quod decus ex eo profectum non intermori: ſi qua macula verò inde concepta, non facilè elui poſsit.

Semper ita ſenſerunt Sapientes in heroicis familijs vim naturæ præſtantiorem eſſe, quam in reliqua multitudine, & virtutis ſemina generatione communicari liberis.

L Ranzo-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

Ranzouiæ clypeus referens inſignia gentis.



Ranzouij rubra eſt Clypei pars dextra, ſiniſtra eſt
Candida, ſed caſsis cornua bina gerit.
Cornua ſunt robur, Martis color alter, & alter
Pacis: vtrumq́ ſatos nobilitate decet.
Forma quid hæc ſimplex: ſimplex fuit iſta vetuſtas
Simplicitas formæ ſtemmata priſca notat.

GENE-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

GENEALOGIA

NOBILIS AC VETVSTAE FAMILIAE RANZOVIOrum, qui inter reliquos nobiles Cymbros Holſatiã ac Ducatum Sleſuicenſem incolentes, noſtra ac patrum memoria celebres extitêre. Nam cùm Adolphus tertius comes Schouvvenburgenſis ac Holſatiæ monaſterium Reinfeldenſe fundauit, & extruxit anno Chriſti 1186. præter ſuum, præcipuorum quoque Holſatiæ nobilium inſignia ordine appendi fecit ibidem, ita vt comitis inſigne ſibi primum, Ranzouiorum verò ſecundum locum vendicet, quæ deinde reliquorum Holſatiæ nobilium inſignia ſequuntur. Sic etiam in ciſta, in qua priuilegia Holſatica aſſeruantur, primo loco ducum Sleſuicenſium, comitum Holſatię, nec non Epiſcopatus Lubecenſis, & Sleſuicenſis inſignia picta conſpiciuntur. Poſt hæc proximus locus armis Ranzouicis aſſignatus eſt. In archiuis quoq; Plonenſium priuilegium quoddam extat, in quo ipſis ius Lubecenſe ab Adolpho IIII. Scouvvenburgenſi conceſſum eſt, Annn 1236. quòd pater comitem duo quoq; Ranzouij tanquam teſtes ſigillis ſuis confirmarunt. Nonnulli etiam Innocentij ſeptimi pontificis confirmatione vſi Canonicatum Hamburgi pro poſteris erexerunt. Ex his conſtat, Ranzouiorum familiam, quantum ad vetuſtatem decus ac res geſtas attinet reliquis non fuiſſe inferiorem.

EX HAC ILLVSTRI NOBILIVM proſapia Patrum.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

ac noſtra memoria nati ſunt Reuerend: Princeps BALTHASARUS Epiſcopus Lubecenſis ac præpoſitus Schleſuicēſis, D. IOHANNES RANZOVIUS eques auratus, DANIEL RANZOVIUS Sereniſsimorum Daniæ Regum FREDERICI I. CHRISTIERNI III. & FREDERICI II. primarij copiarum militarium ductores ac præfecti, nec non præter hos alij Regij per Holſatiam legati ſiue vicarij, oratores ac conſiliarij, tam pacis, quam belli tempore inſignes quam plures, cuius familiæ vltra centum maſculi noſtro tempore adhuc ſunt ſuperſtites. Et nihil aliud eſt familia hæc, quam bellicoſorum militum, & magnanimorum ducum, quaſi perpetuum ſeminarium, poſsidentq́ arces munitas, caſtra, prædia ac nobilium domicilia 35. quæ in regno Daniæ ac Norvvegiæ, in Ducatu Schleſuicenſi, Holſatiæ, Lunæburgenſi ac inferioris Saxoniæ ſunt ſita.

Has prædictas poſſeſsiones ſine maſcula virtute non acquiſiuerunt, neq́ tam diuturno tempore fuerunt tutati, vt maxima pars Ranzouiorum cenſum equeſtrem Romanorum, nempe Cæſaris Auguſti tempore decem millia coronatorum in bonis, & parata pecunia habeat: Nonnulli horum cenſum ſenatorum nempe 25. millia coronatorum adæquent vel etiam excedant, multis interim ad aliquot centena millia progreſsis. Nam ex hac familia quidam noſtro tempore Reginæ Angliæ, Regi Daniæ, ciuitati Antuerpienſi, Gandauenſi, Lubecenſi & Hamburgenſi aliquot centena millia thalerorum ferè vno todemq́ tempore mutuo dedit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

HI TRES SEQVENTES, A QVIBVS INITIVM huius Genealogiæ ducitur, fuerunt fratres aut patrueles.

OTTO —— GODSCHALCVS —— CAIVS

Dominus quondam in Saltzouu, Ranzou, Sclage & Lancker, nec non bonorū in terra Oldenburgenſi iacentium, quę poſteri eius adhuc poſſident.

Huius Poſteri ſub ſigno † infrà recenſentur:

Huius poſteri enumerabuntur infrà ſub ſigno *

Hic habuit filios duos,

D. BREIDO.

Fuit eques auratus, cuius poſteri obtinent Neuerſtorff & Hogenfelde, ex quibus nati ſunt Henningus, Breido & Nicolaus in Neuerſtorff, nec non Daniel, qui fuit præfectus militum in bello ſuetico, modo regis Daniæ Friderici II. Conſiliarius, & præpoſitus monaſterij Vterſen, qui dimidiā partem caſtri Sehegarten in dotem accepit, & adhuc ſuperſtes eſt cum duobus filijs videlicet Hanſio, qui agit annum 18 & Franciſco, qui ingreditur annum 11. Vxor eius Dorothea Alefeldia eſt, Ipſe Daniel agit annum ætatis 51.

D. SCHACKO.

Eques auratus, ab Imperatore Alberto, eques ſui ordinis, cuius inſigne fuit Draco cum cruce, electus eſt in principio An: Dn. 1409. Diploma imperatorium, cuius vigore Dux Schleſuicēſis Adolphus, & hic Schacko eo ordine donati ſunt, in hodiernū vſq; diem in Archiuis Gotterpienſibus aſſeruatur. Sepultus eſt in GiKouu: Inſulam Vemerenſem dux belli expugnauit An: 1416. Hic Schacko 5. filios habuit, vt ſequitur, qui vixêre circa annū Ch: 1469. vt patet ex literis confœderationis, quam nobiles Holſatiæ inter ſe iniêre cōtra vicinas ciuitates, & quoſlibet alios ſibi contra jus vim inferre volentes, cui 24. nobiles huius familiæ ſubſcripſere. Hi quinq; filij inter ſe diuiſere bona terræ Oldenburgenſis, vt Saltzouu, Klampe, Lammershagen, Raſtorp, Siggem, Pudloſen, Bredouu, Loërſtorp, Pancker, Helmſtede, Querneheck, & Merutendorp.

NICOLAVS, CAIVS, HANSIVS, HENRICVS, HARDVICVS

Hic dedit cœnobio Pretrenſi præter cætera dona militare, munus nempe 28. equos: Ex cuius poſteris Nicolaus Ranzouius, qui in bello, quod Chriſtiernus 3. Daniæ Rex cum Lubecenſibus geſſit, tribunus militum fuit, & cum duabus cortibus ſub Martino Roſſemio in Belgium & Galliam ſe contulit, deinde præfectus Peinenſis factus, mortuuſq; Lubecæ, annum agens 77. 3. Auguſti, An: Dn. 1584. ſepultuſq; ibidem in monumento Ranzouiorum, quod Henricus Ranzouius filio ſuo Theodoro extrui antea curauerat.

qui obijt 1485. 2. Octob. ſepultus in monaſterio Preitz.

cuius vxor Catharina Pouuiſch de huius poſteris vide verſa pagin.

Huius abnepos fuit Nicolaus Ranzou. cubicularius Vuilh. Landgrauij, qui in venatione aprum interficiens, eiuſdē ictu rurſus occubuit, Caſſeliæq; à Landgrauio ſepultus eſt An: Dn. 1583.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

Hansius, cuius vxor Margaretha Brocktorpia Dominus quondam in Nienhus, quam ipſe primus funditus ædificauit. Fuit vir doctus ac Canonicus Lubecenſis. Canonicatum tamen reſignauit, ac poſtea Haderslebij obijt, vbi quoque in Monaſterio ſepultus eſt. Reliquit ſeptem liberos, qui omnes Daniæ Regum Friderici primi, & Chriſtiani III. Regij Vicarij, Oratores & Conſiliarij facti ſunt. Huius poſteros vide ſub ſigno (+)

D. Ottho, Eques auratus (Anna de Breiden vxor) Dominus quondã in Bulcke & Knope, & Regis Daniæ Iohannis Senator fuit. Humatus eſt Chilonij in æde D. Iacobi in delubro Ranzouiorum, Anno 1511. vbi etiam conditi ſunt eius filij. Hic Ottho caſtrum Bulcke funditus ædificauit: & filij eius fuerunt.

Christophorus (cuius vxor fuit Anna Ranzouia de Pudlos) Hic Chriſtophorus & Henricus reliquêre liberos qui adhuc ſuperſunt & poſsident bona Bulcke, Knope, Sehekamp, Borchorſt & Schenckel, inter quos Melchior, qui Dorotheam Ranzouiam de Quernbeck vxorem duxit, caſtrum Saleuuick pro Tuſchouu à regia maieſtate Daniæ titulo permutationis ad ſe tranſtulit.

HIERONYMVS, cuius vxor Margaretha Brocktorpia abſq; liberis deceſsit.

HENRICVS, (cuius Magdalena Reuẽtlouia vxor fuit.)

(+) *HIC ORDINE SEQVVNTVR HANSII FILII, Henrici nepotes, Schackonis Pronepotes, Otthonis, à quo linea incepta eſt, abnepotes.*

1. Casparus Margarethæ Ranzouiæ de Neuerſtorff maritus, quondam Dominus fuit in Smolde, nec non Regis Daniæ Conſiliarius & præfectus Flensburgenſis, ſepulturæ mandatus eſt Haderslebij, Anno ætatis 77. vnà cum vxore in æde ſacra prope chorum. Reliquit 2. filios, Henricum & Iohannem, quorum hic

rum hic

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

rum hic adhuc viuit & cum vxore caſtrum Haſſelborch & Muſckentin in dotem accepit, nec non adminiſtrationem præfecturæ Rendespurgenſis obtinet, Regius quoq; in Holſatia Conſiliarius electus, & agit nunc annum 54. Henrici verò hæredes poſsident Schmolde.

2. MELCHIOR Regis Daniæ Chriſtierni III. aulæ præfectus ſiue Mariſchalcus, ipſiq; charus fuit. Nam hoc fatis erepto, dixiſſe fertur, ſe gemmam ex corona amiſiſſe. Obijt Iuuenis & cœlebs, Anno Chriſti. 1539. Fuit admodum diſertus, linguæq; Latinæ non imperitus: Sepultus eſt Haffniæ eo loco, qui coronationi Daniæ Regum deputatus eſt.

3. BALTHASARVS Epiſcopus Lubecenſis, & præpoſitus Slesuicenſis, nec non Chriſtiani III. Daniæ Regis conſiliarius fuit, captus eſt à quodam nobili, Regi inimico, & in captiuitate vitam cum morte commutauit, cùm per 11. Annos Epiſcopatui ſumma cum laude præfuiſſet, Anno 1547. ætatis 49. Fuit vir inſigniter doctus.

4. BREIDO, (cuius vxor Catharina Heiſter) hæres in Bolgenſtede & Reduuiſch à Rege Daniæ Chriſtiano in Friſiam miſſus eſt cum copijs equeſtribus ac pedeſtribus, vt Capitaneum Menardum de Hamme obſidione ſolueret, à domino Georgio Schenckio autem Caroli V. gubernatore Phriſio captus fuit. Vir etiam eloquens, nec non in Ducatibus Holſatiæ, &c. locum tenens Daniæ Regis, Præpoſituſq; Pretzenſis fuit, obijt An: 1562. 13. Octobris, ætatis 56. ſepultuſq; eſt in Parochia ſua Eggebeke.

5. HENRICVS hæres in Eſſelsmarck & Satuuiſch (vxor eius Dorothea VVoniſchfled) fuit Adolphi Ducis Holſatiæ Conſiliarius & Præfectus Gottorpienſis, ſepultuſq; eſt Roslebij. Reliquit filium Hanſium, qui bona paterna poſsidet, Dominuſq; eſt pro rata ſua Caſtri Nienhus, & arcem Saxtorff cum vxore Margaretha Alefeldia ratione dotis eſt nactus. Habet 3. filios, Henricum, Marquardum, & Sifridum.

SIFRI-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

6. SIFRIDVS Dominus quondam caſtri Nienhus, Inſulam Vemerenſem & præfecturam Haderslebienſem adminiſtrauit. Fuit ducis Holſatiæ Iohannis conſiliarius, & ſepultus eſt in Gikouu, cœlebs obijt.

7. OTTHO Margaretæ Alefeldiæ maritus, hæres in Ranzouu & Schonenuueide, adhuc exiſtit in viuis cum 4. filijs HANSIO, BALTHASARO, MELCHIORE & HENRICO, Hic OTTHO etiam certam partem caſtri Nienhus obtinet.



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

† *HACTENVS DE LINEA OTTHONIS, SEQVITVR nunc linea Godſchalci, qui alter trium illorum, à quibus genealogia initium ducitur.*

Godschalcvs I. adfuit tanquam teſtis confirmationi priuilegiorum monaſterij Reinfeldenſis factæ à Gerhardo Duce Sleſuicenſi Anno 1399. cuius Senator fuit, obijt Anno ætatis 63.

Godschalcvs II. (cuius vxor fuit Eliſabetha Seheſtede de Cluuenſick) vixit anno 1469. quòd patet ex literis fœderis inter primores totius Holſatiæ icti, cui 24. nobiles huius familiæ ſubſcripſere, in quibus literis fit mētio Godſchalci Ranzouij Godſchalci filij. Ex quo colligi poteſt, tunc temporis multos etiam Ranzouios extitiſſe, quorum in hac genealogia non fit mentio. Hic Godſchalcus vixit annos 63.

Antonivs (Druda Ranzouia Petri Ranzouij filia, vxor eius obijt Anno 1540.) Dominus in Nienhaue, quod caſtrum funditus extruxit: Fuit Friderici I. Regis Daniæ Conſiliarius, & Præfectus Gottorpienſis, obijt anno 1533. Anno ætatis 63. in æde ſua parochiali Vueſtenſehe, vnà cum vxore humatus eſt eleganti monumento muro inſerto.

Clara, nupſit Chriſtophoro de Schulenborch domino quondam in Engeren & Bezendorff, quæ hæredes adhuc obtinent.

Godschalcvs III. (cuius vxor fuit Margaretha Bockuualdia, Dominus extitit in Neuuenhaue, Vuammendorp, & Vuilſtede, Chriſtianiq; III. Daniæ Regis Senator fuit, Ambo in conditorio maiorum humati iacent in Vueſtenſehe, attigeruntq; annum ætatis 63. Exceſsit autem è viuis Godſchalcus anno Chriſti 1564. 22. die Martij, quemadmodum ex monumēto lapideo, quod in memoriam eius poſteri ſtatui curârunt, patet. Vxor eius obijt eodem annó 22. Febr.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

HIC ORDINE SEQVVNTVR GODSCHALCI III. *filij, Antonij nepotes, Godſchalci II. Pronepotes, Godſchalci I. Abnepotes.*

1. DANIEL Dominus quondam in Nienhauue & VVoldenhorn, iu iuuenilibus annis Imperatori Carolo 5. operam militarem præſtitit, in expugnatione Dithmarſiæ primum duarum cohortium ductor: Deinde Regis Daniæ Friderici II. ſummus belli dux contra Sueciæ regem deſignatus eſt, atque hoc munus in ſeptimum vſque annum ſumma cum laude adminiſtrauit, Regem Sueciæ aliquot prælijs ſuperauit, exiguo exercitu ingentes hoſtium copias fudit, vt in campo Aſtorfheide 4. millibus, 26. millia hominum proſtrauit. Tandem in obſidione arcis VVarburgicæ, quæ paulò poſt deditione facta expugnata eſt, globo ex tormento æneo exploſo per caput eius adacto expirauit, ætatis circiter annum 40. 11. die Nouembris, Anno Chriſti 1569. in parochia ſua VVeſtenſche apud Maiores ſepultus eſt ſplendido monumento cryptæ eius inſtrato, vna cum alijs Epitaphijs in memoriam ibidem erectis abſq; hæredibus mortuus eſt. Deſponſata ei fuerat Chatarina à Damme, quam poſtea ipſius frater Petrus in vxorem duxit. Linguam Latinam, Italicam, Gallicam, Danicam ac Germanicam egregiè calluit.

2. ANTONIVS (vxor Heiluuigis Seheſtede) hæres quondam in Vuilſtorff fuit, quod prædium Regi Daniæ Friderico II. vendidit. Poſtea quoq; poſt obitum fratris Danielis Caſtrum Nienhaue ipſi ceſsit. Hic adhuc viuit cum duobus Filijs ANTONIO & GODSCHALCO, qui literis dant operam & linquæ Gallicæ & Latinæ non imperiti exiſtunt, Antonius (pater) iam agit annum 52.

PETRVS

3. PETRVS (cuius vxor Catharina à Damme fuit) Dominus in Arensborch ſiue VVoldehorn, cuius fundamenta iecit prima foſſaq́; ac vallo munire inſtituit, & VVammendorff, quod pro Troieburg cum rege Daniæ Friderico II. permutauit, hęres quoque exiſtit in Schirenſehe & Mollendorp, nec non regius Danicus Conſiliarius, Præfectuſq́; Flensburgenſis. Vxor defuncta reliquit ei vnicum filium iam 13. annorum, quem meritò fratris nomine Danielem appellari fecit. Donatus eſt etiam à Friderico II. Daniæ rege ordine Danico nempe aureo Elephante cum turri, & iam annos natus eſt 47.



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

* SEQVITVR LINEA CAII, QVI VLTIMVS *eſt trium fratrum, à quibus genealogia initium ducitur.*

CAIVS.

Dominus caſtri Crummendick & bonorum paluſtrium ac circa oppidum Itzeho iacentium, ſepultus ibidem in æde ſacra Diui Laurentij continua monaſterio nobilium monialium, prope altare S. Trinitati dicatum. Hic diuiſionem ordinauit inter comites Holſatiæ & Stormariæ, Anno 1397. quæ ſcripto comprehenſa in hodiernum vſque diem in Archiuis Gottorpienſibus in cuſtodia habetur. Huius filius fuit.

BREIDO.

Hæres in Krummendick, cuius vxor fuit Druda Radlouia, quæ mortua eſt anno 1451. 24. Auguſti. Ipſe verò mortem obijt, anno 1440. eodemq́ loco Itzehoæ tumulatus eſt. Huius libri ſunt ſequentes quinque.

1. Petrvs, qui bona prope Itzeho ſita ad Caſtellum Crummendick quondam ſpectantia dicto monaſterio Itzehoenſi vendidit Anno 1480. filiam reliquit Drudam, cum qua Antonius Ranzouius matrimonium contraxit.

2. Bartholdvs, qui fuit Præpoſitus Hadelerienſis, Canonicusq́ Bremenſis, exceſsit è viuis Buxtehudæ, anno 1459. 8. Ianuarij, translatusq́ Bremam, vbi in ſacra æde Cathedrali ſepultus, cum Epitaphio, quod Henricus Ranzouius regius Danicus vicarius renouari fecit. Hic Bartoldus ſi diutius vixiſſet forſitan etiamad dignitatem Epiſcopalem Bremenſem euectus fuiſſet.

3. Henricvs I. hæres bonorum feudalium in Itzeho: quondam Hamburgenſium præfectus in arce Steinborch, obijt Sexagenarius. Anno 1497. apud maiores ſepulturæ mandatus. Huius vxor Olegardis Bockuuoldia fuit, quæ deceſsit An-

no 1528.

no 1528. prope maritum condita eſt, Annos 41. vidua fuit: vitam ad annum 80. perduxit, filia Domini in Borſtel & Syrhagen, Huius liberi ſequentur verſa pagina, poſt Vuoldemarum & Mettam.

4. VVOLDEMARVS hæres in Crummendick, cuius poſteri caſtrum Crummendick Seheſtedijs vendiderunt. Et illorum ſtirps areſcet cum nulla maſculi hæredis ſpes ſuperſit.

5. METTA ſine hæredibus defuncta, quamuis in matrimonio Reuentlauio nupta vixerit, cœnobio Itzehoenſi quinque millia Marcarum in teſtamento donauit, vt patet ex maiorum relationibus, & diplomatibus deſuper confectis, nec non ſaxo ſepulturæ ibidem inſtrato, obijt anno 1489.

HIC ORDINE SEQVVNTVR HENRICI I. filij quinq; & vna filia.

1. BREIDO, qui perijt in Dithmarſia Anno 1500. cum tribus alijs Ranzouijs, Cùm rex Daniæ Iohannes hanc bello oppugnaret, vbi etiam tumulis obruti ſub dio iacent. Nam honor ſepulturæ, quem ipſorum propinquæ & agnatæ moniales nobiles cœnobij Itzehoenſis eis tribuere inſtituerant, à Dithmarſis eſt negatus.

2. PAVLVS Regis Daniæ Friderici I. aulæ moderator ſiue præfectus fuit, inq; floreſcente ætate extinctus eſt, An: 1521. Itzehoæ ſub lapide ſepulchrali humatus iacet. Reliquit filium quendam HENRICVM, qui aliquandiu caſtra ſecutus in Gallijs apud Martinum Roſſemium vnius equitum turmæ ductor fuit, aqua ſubmerſus perijt, Sleſuicíq; ſepultus eſt Anno Domini 1546. ætatis 28.

3. CAIVS, cuius vxor fuit Ida Blomia de Sehedorff, Dominus quondam iu Hanrouu, Kledkampe & Cherubi, mortuus anno 1560. ætatis ſuæ 72. maiorum ſepulchris illatus eſt. Fuit Duci

 Holſa-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

Holſatiæ Adolpho à Conſilijs nec non præfectus Trittauienſis: Vulneratus eſt In bello Lubecenſi tormento, cum propugnaculum Trauemunda ipſis ereptum eſt. Filij ipſi fuere 4.

1. HINRICUS Canonicus Hamburgenſis, nec non vir militaris, ſtipendium meruit ſub comite Balthaſaro de VVidmunde contra Bremenſes. Hic ab obſidione vrbis Metenſis cum Duce Holſatiæ Adolpho vnius turmæ equitum ductor diſcedens, apud Treuiros peſte interijt, ibidemq́ in templo cathedrali ſepultus eſt Anno 1553. monumento in memoriam eius poſito.

2. PAULUS, qui fuit ſignifer Caroli 5. in bello contra principem Electorem Saxoniæ prope Lipſiam geſto, ibidemq́ peſtifera lue infectus perijt, ac in oppidulo Zeitz tumulatus eſt, fuit vir doctus, iuriſq́ non ignarus.

3. MAURITIUS, cuius vxor fuit Barbara Seheſtedia, Dominus in Hanrouu & Holtenklincke, Ducis Holſatiæ Adolphi Conſiliarius, præfectusq́ Gottorpienſis, Dithmarſenſis ac Reinbeccenſis, & in expugnatione Dithmarſica ac Gotana vnius equitũ turmæ ductor fuit. Hydrope correptus Lubecæ obijt anno 1572. Itzehoam in ſepulchrum maiorum translatus, monumento in memoriam eius, parieti iniũcto. Habuit vnicum filium Caium, qui adhuc ſuperſtes agit annum ætatis 19.

4. DETHLEVUS, cuius vxor Margaretha Henrici Ranzouij de Satuuiſch filia, Dominus in Kletkampe & Cherubi, Ducis Holſatiæ Adolphi Conſiliarius & præfectus Ciſmarienſis habet filium, qui CAIUS appellatur, literiſq́ incũbit annũ agens 15.

4. DETHLEVUS Canonicus Bremenſis & Hamburgenſis, Bononiæ aliquandiu in ſtudijs bonarum artium verſatus, linguam Latinam addidicit, poſtea Romam ſe conferens ibidem obijt anno 1504.

5. CATHARINA, quæ per 20. annos Abbatiſſæ munus in Cœnobio Itzehoenſi ſuſtinuit, vixitq́ annos 81. ac mortua eſt anno 1564. 23. Ianuarij, vbi monumentum ei poſitum eſt.

D. Io-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

6. D. IOHANNES Dominus in Bredenberg, Bodkamp, Sturenhagen, & Melbeck, Hieroſolymis decore Balthei militaris inſignitus eſt circa id tempus cum Zelimus Turcarum Imperator eam ciuitatem bello ſuperâſſet, tribus Daniæ Regibus ſummus bellorum dux ac intimis à conſilijs fuit, Regis inſuper Daniæ Chriſtiani III. regias in Holſatia vices gerens. Lubecam obſidione cinxit, aliquotq; Lubecenſium prope Oetinum profligauit. In Intia Ruſticos ſeditioſos domuit, Nauarchum Clementem, qui ſemetipſum propria authoritate pro Rege geſsit, cepit, capitisq; ſupplicio affecit. Haffniam in Selandia etiam bis vna cum alijs obſidione preſsit. Seuerinum Norbium Regis Daniæ Chriſtiani II. ſummum belli ducem patentibus in campis prælio in Scania ſuperauit & cepit. Comites quoq; aliquot in Fionia in loco Ochſenberg dicto fudit: inter Imperatorem Carolum V. ac Daniæ Regem Chriſtiernum III. Spiræ vna cum ſocijs legationis pacem compoſuit ac ſtabiliuit anno 1544. Tandem cum Daniæ Rege Friderico II. nec non Holſatiæ Ducibus Iohanne & Adolpho in Dithmarſiam expeditionem ſuſcepit. Vixit annos 73. & menſem vnum, licet anno 72. ægrotare cœperit, placidè obijt anno 1565. 12. Decemb. Caſtra Bredenberch, & Bodtkampe precio ſuo emit & funditus ædificauit, quorum prius inter munitiſsima totius Holſatiæ recenſetur.

HVIVS vxor fuit Anna Vualſtorpia vltima eius familiæ, vixit annos 72. obijtq; anno 1582. 29. Decembris prope coniugem honorifice condita ſub ſepulchro ſplendido Itzehoæ, cum varijs Epitaphijs, quæ filij mœrentes Patri nec non ipſi ſtatui curârunt. Vidit liberos nepotes ac pronepotes numero 48.

HVIVS.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

HVIVS IOHANNIS EQVITIS aurati filij fuerun.

HENRICVS Dominus in Bredenberg & vicarius regius, de quo pagina ſequenti.

PAVLVS Dominus in Bodekamp. Lindeuith, Arleuat, Beyerſtet & Scaphuſen, Ducis Holſatiæ Adolphi Conſiliarius & præfectus trittauienſis, Reinbeccenſis & Trummelsbuttelerſis fuit eiuſdemq́ ducis vexillifer in obſidione Metenſi, nec non legatus, cùm idem dux Adolphus bis mille equites ex mandato Philippi Regis Hiſpaniarum duci Albano adduceret. In iuuentute Alberti Marchionis primi, ducis Boruſsiæ cubicularius fuit. Obijt iu Reinebeck, Itzehoæq́ apud maiores honorificè tumulatos eſt, anno 1579. Annos vixit 51. Menſes 5. dies 6.

Eius filij ſunt.

1. GERHARDVS ab alio quodam nobili Holſatiæ gladio interemptus in ſiugulari quodam certamine altero etiam grauiter vulnerato. An: 1580. Otoniæ, vbi etiam ſepultus eſt circa id tempus cum Duces Holſatiæ Ducatum Sleſuicenſem, à Rege Daniæ Frederico II. in feudum ſuſcepêre, ætatis ferè ſuæ 27. Latinè, Gallicè & Italicè loquebatur expeditè: Nam in Italia & Gallia literis operam nauârat.

2. CAIVS ſepultus Dreſdæ, Anno 1580. 9. Sept. ætatis 14.

3. BREIDO, agens annum 22.

4. MELCHIOR agens annũ 20. in Vngaria contra Turcam litatat.

5. OTTHO.

6. IOANNES agens ætatis annum 14.

7. HENRICVS verſatur in literis, annum agens 17.

8. DANIEL.

9. BARTRAMVS, anuum agens 16.

NVNC

NVNC PERTEXETVR LINEA
Henrici II. Vicarij Regij.

HENRICVS Dominus in Breidenberg, Ranzouiſholm, Vuandesborch, Tuſchenbeck, Nuizhouu, Melebeck, & Redingestorff Regum Daniæ, Chriſtiani III. & Friderici II. iu Ducatibus Sleſuici, Holſatiæ & Dithmarſiæ Vicarius, Conſiliarius ac adminiſtrator præfecturæ Segebergenſis fuit per ſpacium 30. annorum, loquitur ac ſcribit Latinè expeditè & eleganter, Gallicæ quoq; linguæ non imperitus. Ab inclyto Rege Daniæ Friderico II. titulo emtionis 55. millibus thalerorum Ranzouiſcholmium comparauit. Nutzſchouu & Redingeſtorff ſimiliter coëmit & extruxit. Expugnationi Dithmarſiæ quam ſubiugatam inter Regem Daniæ, Holſatiæq; Principes diuiſit: nec non tractationi pacis inter Daniæ, Sueciæ ac Poloniæ reges & ciuitatem Lubecam. Stetini vnà cum reliquis interfuit Anno 1570. Donatus eſt etiam à Frederico II. Daniæ rege ordine Danico, nimirum aureo Elephante cum turri. Iam agit annum ſexageſimum.

CHRISTINA ab Halle, hæres in Drakenborch & Rintelem, Franciſci ab Halle vnica filia, vxor.

FILII HENRICI II.

1. FRANCISCVS Regis Daniæ Frederici II. præfectus in Caſſor vbi traiectus eſt inter Fioniam & Selandiam, linguam callet Gallicam, Latinam & Danicam, Annum agit ætatis trigeſimum. In iuuentute operam dedit literis Louonij, cum principis Vuilhelmi Aurantij filio, quo Antuerpiam vocato & capto, in Hiſpaniamq; abducto, hic franciſcus à duce Albano Louanium remiſſus eſt.

Vxor eius Anna Roſenkranzia, quæ poſſidet bona in Noruuegia ac Fionia.

2. BREIDO regius Danicus ſenator regni, & præfectus Inſulæ Langelandt loquitur item Latinè, Gallicè & Danicè expedite, agens annum 29. fuit in magno diſcrimine vitæ Lutetiæ, cùm ibidem nuptiæ illæ cruentæ regis Nauarræi celebrarentur.

Vxor eius Sophia Roſenkranzia, quæ obtinet bona in Noruuegia & Fionia.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

3. Fredericvs Archidiaconus, nec non Canonicus Sleſuicenſis, Latinæ Linguæ non ignarus, apud Palatinum Caſimirum in expeditione Colonienſi aliquandiu commoratus eſt anno 83. cum regio Danico Admiralio profectus eſt in Liuoniam verſus Oſel & Arnsburgum, vbi de nouo regi Daniæ Friderico II. iuramento ſunt obſtricti. Anno 1584. Annum nunc agit 28. & iam cum Erneſto à Mandelslo caſtra ſequitur.

4. Gerhardvs Regius Danicus præfectus propugnaculi maritimi Cronenburg, Canonicus Bremenſis & Lubecenſis, ante aliquot annos per Germaniam verſus vrbem Conſtantinopolitanam iter ſuſcepit, inde Hieroſolymam ſe contulit, nec non per Italiam, Galliam, in Hiſpaniam verſus Madrilum & Vliſſobonam profectus, iter ſuum Lutetiam Pariſiorum conuertit, ac hoc modo in Angliam, indeq; rurſus in Daniam ſe recepit. Ad has profectiones perficiendas, in primis ipſi profuit linguæ Gallicæ ac Italicæ cognitio, tum quod Latinæ quoq; non planè inſcius fuit, educatus eſt à comite Arenbergio in inferiori Germania, vbi linguas didicit, Annum agit ætatis 27.

5. Caivs præpoſitus, nec non Canonicus Hamburgenſis, loquitur Gallicè & Latinè, agitq; nunc annum ætatis 23.

6. Theodorvs obijt Anno 1572. ætatis 11. Lubecæ vbi etiam ſepulturæ mandatus eſt in ſummo templo, Pater in memoriam eius monumentum ſatis honorificum poni fecit.

7. Iohannes peſte perijt Heidelbergæ, Anno 1582. 17. Octobris, attigeratq; ferè annum ætatis 18. ibidem quoq; ſepultus eſt, in cuius memoriam pater ipſius monumentum ſepulturæ ad ſacram ædem Diui Petri fieri fecit eodem loco, vbi requieſcit.

Hi ſeptem proximè enumerati ſunt Henrici II. filij, Iohannis nepotes. Henrici Primi nepotes, Breidonis abnepotes, Caii vnde lineæ initium ductum eſt atnepotes.

DE

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]





DE FA-
MILIA
RANZO-
VIANA.



Scipiadas, Brutos, Pompeios atq; Camillos,
Æmilios, Fabios, Roma ſuperba dedit,
Fabricios, Curios, & cum Cicerone Catones
Præſtantes ſtudijs Martis & arte togæ.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

Æternæ quorum famæ monumenta dicata,
Poſteritas poſitas ſuſpicit & ſtatuas.
Deſine mirari, totidem gens vnica terris
Protulit Arctois proxima Ranzouios.
Inter quos Schacko, Caius, numeratur, & Ottho
Breidaq; cum Paulo, Mauritioq; ſimul,
Nicoleos præſtans, & cum Daniele Ioannes,
Qui ducibus Romæ Marte fuêre pares.
Quorum dexteritas nec non mauortia virtus,
Per varios caſus ſæpe probata fuit.
Conſtat enim cunctis, magna quod laude vehendi
Præfecti fuerint, militiæq; duces.
Melchior, Henricus, Detleuus Balthaſarusq;
Bartholdusq; illis annumerandus erit.
Inſigni functa eſt pars munere præſulis horum,
Æmula facundi pars Ciceronis erat.
Ac vltra centum Ranzoio ſanguine natis
Eſt ſoſpes noſtro tempore vita ſimul.
Quorum pars Danici regni ſunt membra ſenatus
Conſilio holſaticos pars iuuat vſq; duces.

Aliud de eadem.

Sunt duo, quæ faciunt vt quis ſit nobilis, Ars, Mars.
Maior ab arte venit gloria, Marte minor,
Maxima nobilitas à laude paratur vtraq;,
Vt conſummatus ſic coaleſcat honos.
vna Minerua Dea eſt ſtudiorum, Diuaq; belli
Præſidet ingenijs, militiæq; fauet.

Nobilis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

Nobilis inprimis igitur Ranzouia gens eſt,
Stemma per antiquum ceu clypeuſq; probant.
Arma nitent duplici, roſeo niueoq; colore,
Vnus erit belli, pacis at alter erit.
Cur non ſanguinei roſeus ſit teſſara belli?
Candidus ingenuæ non nota pacis erit?
Quis neget, huic genti ſub auito tempore quod ſit
Indole partus honos? ſanguine partus honos?
Quis tales tantoſq; viros non iure fuiſſe
Heroas magnos iudicet, & celebres?

Aliud.

Ars, Mars ſors, celebres, illuſtres, atq; potentes,
Ranzouios reddit, laude, decore, bonis.
Laus artis, Martis decor, & bona plurima ſortis,
Salua manent, pietas eſt quia ſancta comes.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

Vt facilius genealogia præcedens intelligatur, breuis hæc ſubiecta eſt eiuſdem delineatio.

OTTHO — GODSCHALCVS I. — CAIVS

D. BREIDO Eques auratus. | D. SCHACHO Eques auratus, qui inſulam Vemerenſem Dux belli expugnauit. | GODSCHALCVS II. | BREIDO

HENRICVS | ANTONIVS. | HENRICVS I.

HANSIVS | GODSCHALCVS III. | IOHANNES Eques auratus, & trium regum ſummus belli dux.

BALTHASARVS Epiſcopus Lubecenſis. | DANIEL ſummus belli Dux contra Suecos. | PETRVS | HENRICVS II. Vicarius Regius | PAVLVS Legatus Ducis Adolphi in Belgico

DANIEL. | 7. filios. | 9. filios.

Hoc

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

HOc etiam monendum eſſe duxi, quod nomina huius familiæ, Caius, Antonius, Breido, Schacko, Godſchalcus, Ottho, Henricus, Gerhardus, Sigefridus, Hanſius, Vuoldemarus ſint gentilitia & vetera. Balthaſarus autem Melchior, Daniel, Caſpar, Petrus, Paulus, Chriſtophorus, Ieronimus & Nicolaus ſint aſſumpta, cum Cymbricæ regiones Chriſtianam colere religionem cœperunt, poſt Caroli magni tempora, circa annum Domini 834. cum Lodouicus Caroli filius Epiſcopalem ſedem trans Albim in loco Hammaburg inſtaurauit, vt Carolus Magnus illud decreuerat, quemadmodum literæ Ludouici Aquisgrani eo anno datæ teſtantur. Vnde etiam patet, quòd Cymbri Chriſtianæ religioni vltra 600. annos verè addicti non fuerint. Holſatiam autem & vicinas regiones, Cymbricam Cherſoneſum à Romanis fuiſſe vocatam, patet ex Tacito, Plinio, Strabone & Ptolomæo, præſertim vbi Ptolomæus recenſet extenſionem Cymbricæ poſt Albim fluuium, Et vbi commemorat altitudinem polarem vrbis Trauenæ 54. 40. Quæ ferè conuenit, paucis exceptis minutis, cum fluuio Trauena & oppidulo Trauemunda, vbi Trauena oceanum illabitur. Extitit autem hæc familia ante Caroli magni tempora in his Cymbricis oris, quodq; eorum res geſtæ interciderunt, magis temporum iniquitati quam ipſis aſcribendum eſt, eo quod Cymbri Martium animum paulò ſeriùs ad literas adiecerint.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

GENEALOGIA HEINRICI Rantzouij à quatuor abauis deducta.

BREIDO Ranzoui⁹ D. in Krummendick, mortuus Itzehoæ, ibiq́; ſepultus, Anno Dn: 1440.	DRVDA Radlouia de Lenſan, obijt anno Domini 1451. 24. Auguſti, apud maritum tumulata.	DETHleuus Bockvvoldius Eques auratus; Dominus in Borſtel & Sirhagen Itzehoę ſepultus.	MAGdalena de Hummelsbuttel apud maritum humata.	HENricus VValſtorpius Dominus in Pardol, Bornhouidæ ſepultus.	ANNA Suauenia.	HENricus Ranzouius Dominus in Niendorff & Quernbeck.	ABELA Sehleſtedia.

Henricus Ranzouius hæres bonorum feudalium in Itzeho obijt Sexagenarius An: Chriſti 1497. ibidemq́; tumulo conditus.	Oligardis Bockuuoldia filia Dn. in Prorſtel & Sirhagen vixit annos 80. mortua anno Dn: 1528. Itzehoæ ſepulta.	Gerhardus Vualſtorpius obijt ſexagenarius in Eccleſia Segebergenſi ſepulturæ mandatus, ac monumento honorifico ibidem ornatus à nepote Henrico Ranzouio.	Catharina Ranzouia, obijt in Pretz, ſeptuagenaria fere ibidemq́; apud ſorores ſuas, quæ virgines moniales fuêre ſepulta iacet.

Iohannes Ranzouius Eques auratus, Dominus in Bredenberg, Bodtkamp, Sturenhagen & Melbeck, nec non 3. Daniæ regum ſummus bellorum dux, vixit annos 73. & menſem vnum, obijt in arce ſua Bredenberga, Anno Domini 1565. die Decembris Itzehoæ ſepulchro maiorum illatus.	Anna VValſtorpia vltima eius familiæ in his oris vixit annos 72. obijt Anno Domini 1582. 29. Decembris, vidit liberos, nepotes ac pronepotes num. 48. Itzehohæ ſepulta.

HENRICVS RANZOVIVS Regis Daniæ in ducatibus Sleſuicenſi Holſatiæ ac Dithmarſiæ vicarius, Præfectus Segebergenſis, Dominus in Bredenberg, Ranzouisholm, VVandesburgi, Tuſchulabecani, Nuſcovv & Melbeck, qui iam ſexagenarius adhuc eſt ſuperſtes.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

Εἰς ἕρρικον ῥανζόβιον.

Οὗτος ῥανζόβιος πολλῶν αἰτάξιος ἄλλων,
Ἀμφότερον, κῦδος μουσῶν, καὶ ὄζος ἄρηος.
Δοξ' οὖν ἠδὲ χάρις μεγάλη τῷ ὀφείλεται ἀνδρί.

Matth. Dreß.

F I N I S.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]

3532.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3532 4° [53,-75]